DE

CENSIONE HASTARIA VETERUM ROMANORUM

CONIECTURAE

EPISTOLA

AD

EDUARDUM IACOBI

THEOL. S. S. ET PHIL. D. AA. LL. M.
SERENISSIMO DUCI SAXONUM COBURGENSIUM ET GOTHANORUM A CONSILIIS SUPREMI SENATUS ECCLESIASTICI. SUMMUM SACRORUM IN AULA ANTISTITEM. ORDINIS PROSAPIAE ERNESTINAE CRUCIGERUM. VIRUM DE REBUS SCHOLASTICIS MERITISSIMUM

QUAM SCRIPSIT

OTTO SCHNEIDER

PH. DR. AA. LL. M. IN GYMNAS. ILLUSTRI GOTHANO DOCTOR

BEROLINI MDCCCXLII
SUMPTIBUS E. H. SCHROEDERI.

Sophokles Antigone.
Neue metrische Uebersetzung.
2te Auflage. 1842. gr. 8. geheftet. Preis 10 Sgr.

Ueber die
Antigone des Sophokles
und ihre Darstellung auf dem Königl. Schloß-Theater im neuen Palais bei Sanssouci.
Drei Abhandlungen
von
A. Böckh, E. H. Toelken, Fr. Förster.
1842. 8. geheftet. Preis 15 Sgr.

Die Vertheilung der Rollen
unter die Schauspieler der griechischen Tragödie.
Von
Dr. Julius Richter.
1842. gr. 8. geheftet. Preis 15 Sgr.

Das römische Dotalrecht.
Von
Dr. F. W. v. Tigerström.
2 Bde. gr 8 Preis 4 Thlr.

Das altcivile und Justinianeische
Anwachsungsrecht
bei Legaten und die caducarischen Bestimmungen der Lex Julia et Papia.
Von
Dr. K. A. Schneider.
gr. 8. Preis 1 Thlr. 20 Sgr.

Portrait
von
Schelling,
Dr., Wirkl. Geh. Rath und Professor.
Gez. und lith. von Mittag.
Velinp. 15 Sgr., Chin. Pap. 20 Sgr.

Portrait
von
Hegel,
weil. Dr. und Professor der Philosophie.
Lith. von Mittag.
Velinp. 15 Sgr., Chin. Pap. 20 Sgr.

Portrait
von
Marheineke,
Dr., Ober-Consistorial-Rath und Professor.
Gem. von Magnus, lith. von Fischer.
Velinp. 15 Sgr., Chin. Pap. 20 Sgr.

Portrait
von
Göschel,
Geh. Ob.-Justiz-Rath.
Lith. von Wildt.
Velinp. 20 Sgr., Chin. Pap. 1 Thlr.

DE

CENSIONE HASTARIA VETERUM ROMANORUM

CONIECTURAE.

Intermortua paene est, Iacobi, Vir reverendissime, veteris cujusdam instituti memoria, quod nascentis reipublicae Romanae temporibus plurimum crediderim contulisse ad disciplinae militaris severitatem stabiliendam, — censionem dico hastariam. Eam e tenebris quas temporis decursus obduxit in lucem quantum licuit vocatam (si modo vocaverim) cui libentius enarrare et rectius possim quam Tibi? Si quod enim publicum pietatis et observantiae erga eos monumentum extare cupimus qui suis nos ornarunt beneficiis (quos mihi quidem multos obtigisse memor et gratus profiteor), — Tu plane eximio favore vixdum nomine Tibi notum amplexus in honoratissimum locum evehi me et lectissimorum virorum collegio ascribi nuper voluisti; sive aequos circumspicimus judices, qui quae scripsimus non condemnent ob errorum frequentiam, sed aliqua exigua rerum vere, si forte, observatarum summa excusent, — Te et integritate innatoque justi amore praestare scio, et edito lexico mythologico, eruditissimo opere, expertum cognovisse optime, quam difficile sit si quis ex evanescentibus rerum umbris veras omnibusque numeris suis absolutas imagines restituere velit. Itaque satis graves fuerunt causae, cur Tib hanc epistolam publice inscriberem; quamquam probe intelligo parum et Tuo nomine et meo erga Te amore dignam eam esse, cujus omnis si qua erit laus in eo consistat quod cavebit fortasse ne oblivioni diutius res detur, parum illa veterum testimoniis illustrata. Neque enim quicquam hodie de censione hastaria sciremus, nisi ex Festi de verborum significatione dia-

sceue haec etiamnunc apud Paulum extarent verba, pag. 42 Lindem. = pag. 54 Müll.

„censio hastaria dicebatur cum militi multae
„nomine ob delictum militare indicebatur
„quod hastas daret."

Quae fateberis per se satis esse obscura; neque enim quorsum tetenderit ista dandae hastae indictio statim apparet, et multae nominis ambiguitas in diversas partes judicium distrahit, ut non sit magnopere mirandum, plerosque omnes qui de re militari Romanorum de industria scripserunt Pauli narrationem silentio dissimulare maluisse (virtutem, credo, ratos ut in re sacra, ita in arte critica silentium esse), quam blandientium opinionum illecebris sese prodere irretitos; sed si qui fuerunt qui majoris essent fiduciae, ii aut parum rem obscuram expediverunt, aut si dis placet magis etiam obscurarunt. Etenim si memoria repeto quot mihi studiose perscrutanti sese obtulerint virorum doctorum de censione hastaria sententiae, vix tres invenio qui accuratius in rem inquirere et tenebras gnaviter dispellere voluerint. Inter quos „futilem" vulgatam in Pauli codicibus scripturam appellat is qui et ipse saepe erat futilis ac pessima quaeque capitis somnia nimia largitione effundebat, Casp. Barthius, Adversarr. XLI, 1; „quot enim," inquit, „hastas censes militem dedisse? legendum putarim: quod hasta sestaret, i. e. usus hastae ipsi interdicebatur." Sed vellem addidisset, quorsum ultima dixerit; quae quum ad explicandum et ad demonstrandam viam sint apposita, ipsa tamen Pythiorum instar oraculorum prae ceteris explicatione indigent, qua evanescat ambiguitas; nec plus novissimus Festi editor praestitit, qui fere acquievit Barthii sententia; quod autem novum Barthius excudit et inauditum vocabulum satius erat semel procusum ἐς κόρακας amandare quam commendare posteris. Sed Barthio multo cautius, licet aliquanto etiam minus probabile Iustus Lipsius judicavit, de milit. Roman. 5, 18, cui quae placuerant quum I. F. Gronovius assensu suo probasset, ad Gell. Noct. Att. 2, 1, repetiit ut sua ac plu-

ribus exornavit Le Beau, haud ignobilis suae aetatis apud Francogallos antiquarius, in commentariolo de delictis militum Romanorum eorumque poenis gallice scripto (1). In cujus viri exagitandis erroribus si multus mox Tibi videbor fuisse, factum hoc est propterea, quod eadem ista sententia egregii doctissimique viri assensum videtur nacta esse, Creuzeri, compend. antiq. Rom. p. 401 ed. II, cujus auctoritate plurimis facile commendari possit. Proficiscitur autem tota Francogalli disputatio a Modestini quodam loco, veteris juris consulti, quem Alexandro Severo supparem de poenis scripsisse scimus; ex ejus libro quarto haec inter alia servata sunt, Digestor. libr. XLIX, tit. 16 l. 3 § 1: „poenae militum hujuscemodi sunt: castigatio, pecuniaria multa, munerum indictio, militiae mutatio, gradus dejectio, ignominiosa missio." Quarum poenarum eam quam secundo loco posuit Modestinus ab antiquis Romanis nonnunquam censionem hastariam contendit vocatam esse, idque tum quum multam irrogatam non statim quidem solveret reus, sed mox ut solveret hasta data obstringeretur; censionem igitur hastariam nihil fuisse nisi aliquam pignoris capionem, qua cautum esset ut si quis in bello non esset solvendo miles, domi certe non careret stimulo quo ad solvendam pecuniam incitaretur. In his primum admodum leviter usus est Modestini testimonio, quo factum ut tota res egregie vacillet; ubi enim non concesseris Modestini multam pecuniariam exactam interdum fuisse pignoris capione (nec causa satis gravis est cur factum hoc concedatur), labant omnia; quum, ubi conceditur, felicius omnia progrediantur. Quis enim magnopere Francogallo obstrepet, si illis concessis prompto usus analogiae adminiculo vel maxime distantibus temporibus eadem vindicat instituta? quum praesertim non ita abundemus veterum testimoniis, quin interdum sit necessarium vel iis quae verisi-

(1) Commisit in doctorum Gallorum collegio quam academiam inscriptionum vocant, cujus in Actis annor. 1776—1779, i. e. Tom. 49, 2, ea quae cummaxime premo leguntur pag. 259.

milia tantum sunt et probabilitatis speciem habent nova continuo tamquam fundamento superstruere. Igitur quum illud, in quo omnis argumentandi vis consistit, quaerere Bellus Francogallus noluerit, num concedi possit, Modestinum, ubi multam pecuniariam indicaverit, voluisse etiam pignoris quandam capionem, quae ejus loco esset, simul intelligi: de hoc primum videndum erit. Non est autem, mihi crede, admodum credibile, Caesarum temporibus eos qui de delictis militaribus judicarent, interdum ita in milites vindicasse, ut pignus caperent quo ad multam solvendam reos incitarent. Quid enim? opusne erat pignore, quum Vegetius (2) affirmet, „divinitus ab antiquis institutum esse ut ex donativo quod milites consequerentur dimidia pars sequestraretur apud signa et ibidem militibus servaretur, ne per luxum aut inanium rerum comparationem a contubernalibus posset absumi.“ Id si tenemus et recte simul hoc conjecimus, non donativam solum pecuniam, sed omnis castrensis peculii (3) partem ad signa depositam fuisse, ibique singulis ita saepenumero accrevisse pecuniam, ut a Domitiano ediceretur ne plus quam mille nummi a quoquam ad signa deponerentur (4): omnes, opinor, mecum se nescire

---

(2) Veget. epit. rer. mil. 2, 20, ubi quod de antiquis affirmat, de imperatorum aetate, ut omnia fere quae digessit, intelligendum esse, facile possem, si in rem nostram quicquam conferret, demonstrare, adhibita in eam rem uberiore de fontibus Vegetii disquisitione, quos, quamcunque simulat copiam (1, 8 et 2, 3), non habuit fere nisi Frontinum, Papernum et aliquot fortasse constitutiones principum, non Catonem aut alium quemquam veterum.

(3) cf. Digestor. 49 tit. 17 l. 11: castrense peculium est quod a parentibus vel cognatis in militia agenti donatum est vel quod ipse filius familias in militia acquisivit, quod nisi militaret adquisiturus non fuisset. Ad ultimum genus stipendium quoque pertinere apertum est; id quoque ego ex parte depositum ad signa fuisse arbitror, ut reliqua peculii genera, quae quidem possent. quae enim causa erat, ut stipendium ut hoc utar minus quam donativa pecunia per luxum absumi posset?

(4) cf. Sueton. Domit. cap. 7 extr.

profitebuntur, quid pignora a militibus petere quam paratum ipsorum peculium attrectare maluerint qui multam eis irrogarunt. — Verum licet ulterius etiam progredi et pecuniariae multae a Modestino inter poenas militares relatae rationem paulo accuratius indagare, quo magis etiam appareat quam negligenter egerit Francogallus. Satis enim temere illud sibi videri debet finxisse animo, Modestinum intelligi voluisse pecuniariam multam talem qualem suo ipsi e sacculo pendere solent quibus multa irrogata est; quod num sit verum magnopere dubitamus. Etenim quum satis multa saepe a scriptoribus narrentur de militum poenis, tamen ne unum quidem invenire potuimus locum quo moris fuisse apertis verbis dictum sit, ut milites rei suo e sacculo pecuniam solverent ad luenda peccata; imo omnes fere non narrant nisi de militibus dirutis i. e. iis, quibus, ut refert Festus (5), „stipendium ignominiae causa non erat datum, quod aes diruebatur in fiscum, non in militis sacculum; quos eosdem idem intelligit Festus alio loco (6), quo militi resignatum aes dictum fuisse affirmat quum ob delictum aliquod jussu tribuni militum ne stipendium ei daretur in tabulas referretur; quam poenam duplici modo irrogatam fuisse invenio, ut aut partem tantum annui stipendii milites acciperent (7), aut totum stipendium annuum perderent (8). Quod si hoc pecuniariae multae

(5) cf. Fest. sub. dirutum aere pag. 69 M. Adde Nonium Marcell. s. aere dirutus, et Ciceron. in Verrem 5, 13. Ceterum semel moneo, ubicunque ad rem non faceret, noluisse me Festum a Paulo Diacono distinguere.

(6) Fest. s. resignatum aes p. 284 et p. 285 M., ubi in fine a Festo additum est: resignare enim antiqui pro scribere interdum ponebant.

(7) cf. Liv. 40, 41: causa ignominiae, uti semestre stipendium in eum annum esset ei legioni decretum. Adde Nonium supra citatum.

(8) Id paulo videtur frequentius accidisse; vide, ut aliquot saltem veterum locos indicem, Valer. Maxim. 2, 7, 15; Frontin. Strat. 4, 1, 21 et 4, 1, 46.

genus tam multis veterum locis memoratur, alterius autem quod Francogallo placuit addere nulla uspiam certa extat mentio, non videmur nobis justo calidius pronuntiare hoc omnino in usu non fuisse, sed fictum esse a Francogallo, qui quos in eam rem adhibuit veterum locos, quibus certam illi dirutorum mentionem non addiderunt, ad alterum genus magis etiam firmandum apponere debuerit; sunt autem non nisi tres loci, quod sciam, quibus ambigere possis, vulgatumne et saepe memoratum multae genus agnoscere tibi videare, an aliud quod ab illo diversum. Quamquam quid loquor ambiguum quempiam fore nec sua sponte ad prius genus statim delapsurum, si Modestini locum legat supra memoratum, aut Catonis verba quae Gellius servavit (9), aut Polybii denique, 6, 35 (10); quem enim Bellus quartum addidit Pauli Diaconi locum s. deprehensa, pag. 54 Lind.: „deprehensa dicitur genus militaris animadversionis castigatione major, ignominia minor,“ eum non potuit nisi depravando in suam sententiam detorquere. Scribendum enim opinatus est depensa quod significare existimavit expensam sive multam; sed nobis explicanda potius quam corrigenda videtur vulgata lectio

---

(9) Gell. N. A. XI, 1, quem locum Francogallus omisit. Verba haec sunt: quum autem usus et mos sermonum is sit, ut et ita nunc loquamur, ut plerique veterum locuti sunt, multam dixit et multa dicta est: non esse ab re putavi notare, quod M. Cato aliter dixit. Nam in quarto Originum verba haec sunt: Imperator noster, si quis extra ordinem depugnatum ivit, ei multam facit. Potest autem videri consulta elegantia vitasse verbum quum in castris et exercitu multa fieret, non in comitio, nec ad populum diceretur. — Haec Gellius, in quibus non intelligo, qui istud elegantiam sapere possit, cujus insuper non ita studiosum fuisse severum Catonis ingenium crediderim; imo quod vocabulo usus est haud vulgari, id indicio est, multam quoque non vulgarem intellexisse Catonem, i. e. non pecuniariam, sed aliam quandam, fortasse capitalem; nam ea poena imperatores saepe eos afficiebant qui ordinem non servarant: cf. Stewech. ad Veget. 1, 26. — Iure itaque et consulto Francogallus potuit Catonis locum omittere.

(10) Polyb. 6, 35: ξυλοκοπεῖται — ὁ τρὶς περὶ τῆς αὐτῆς αἰτίας ζημιωθείς. Adde 6, 32 extr. — οὐ δ᾽ ἂν εὑρεθῇ τὸ κώλυμα, τυγχάνει τῆς καθηκούσης ζημίας.

esse (11), ut hic quoque locus non possit quicquam momenti ad ea quae voluit demonstranda afferre.

Sed dixerit quispiam, Modestini quidem temporibus non opus pignore fuisse, quippe quibus aliqua pecuniae summa ad signa deponi solita fuerit; idem autem quum antiquioribus temporibus non videatur factum, veteribus certe Romanis interdum non potuisse non conducere videri, si pignoribus obstringerent milites ad multam solvendam. Audio; imo quo majorem etiam veritatis speciem huic opinioni ipse afferam, primum illud addo, Polybium dicere haec, quae leguntur 6, 25: *κύριος δέ ἐστι καὶ ζημιῶν ὁ χιλίαρχος καὶ ἐνεχυριάζων καὶ μαστιγῶν*: deinde hoc, Gajum, haud ita pridem in lucem protractum, pignoris capionem affirmare moribus rei militaris introductam fuisse; namque „introducta est," inquit, Com. IV § 27 seqq. pag. 191 Hefft., „pignoris capio moribus rei militaris; nam propter stipendium licebat militi ab eo qui aes tribuebat (12), nisi

---

(11) Primum de vocabuli forma nihil erat cur dubitaretur, quod pro deprehensione dictum est ut instituta pro institutione, remissa pro remissione, consulta pro consultatione, missa pro missione, ulta pro ultione, de quibus videndus Salmasius ad Trebell. Poll. vit. Gallien. 12 p. 215 Lugd. De significatione autem magnus patescit conjecturarum campus, quum nimis incertis finibus circumscripta sit Festi definitio; nam et castigantur aut verbis aut verberibus, et ignominia tum diversi fuit generis, tum plurimas poenas sequebatur re vera non ita saepe magnas. Videntur autem tres istae animadversionis species ad verbera pertinere omnes, ut ignominia significet fustuarium (quod sane, si quis inde vivus evasit, maxime fuit ignominiosum; vid. Polyb. 6, 35 Gron.), castigatio autem simplicem per vites verberationem. Iam scimus posteriori tempore in constitutionibus de militum poenis eorum peculiarem rationem esse habitam qui centurionis castigantis vitem prehenderent ad ictum declinandum: cf. Digest. 49 tit. 16 l. 3 § 4. Cujus criminis aliam alias poenam fuisse nec semper gradus dejectionem per se probabile est. Quidni igitur aliquando etiam verbera ejusmodi reis infligi solita sint singulari quadam ratione quam accuratius scire nihil attinet, eaque poena appellata sit deprehensa quae fieret ob deprehensam vitem? Certe ejusmodi appellatio non aliena est ab ludibundo saepe et jocoso militum loquendi modo, quibus, ut alia taceam, optio is erat miles qui ex centurionis vel decurionis optione his res privatas administrabat.

(12) Eum tribunum aerarium fuisse constat ex Catonis verbis apud

daret, pignus capere; item propter eam pecuniam licebat pignus capere, ex qua equus emendus erat; item propter eam pecuniam, ex qua hordeum equis erat comparandum (13);" denique illud etiam subjicio, si cui Gaji verba parum in rem nostram quadrare videantur, magistratus Romanos majores de senatoribus quoque aliisque magistratibus minoribus aut privatis hominibus qui contumaces essent, pignora capere consuevisse (14), quo appareat pignoris capiendi consuetudinem plurimum viguisse: haec igitur ipse addo, nec quicquam tamen inde in Francogalli opinionem auctoritatis et firmamenti redundaturum putaverim. Primum enim nihil impedit quin Polybius quidem l. l. hoc voluerit, concessum fuisse tribuno, qui tamquam privatus judex sederet inter milites litigantes, ut causam vincenti pignoris a cadente c a p i e n d i f a c u l t a t e m d a r e t (nam hoc quoque ἐνεχυριάζειν significat); id si concedimus, res tamen nostra adhuc est integra. aliud enim est ob privata delicta, quae nihil attingunt rempublicam, privato homini pignoris capiendi a privato facultatem dare, aliud ob delicta quibus reipublicae majestas laeditur totiusque civitatis salus in discrimen adducitur ipsius quasi reipublicae causam agere ad eamque probe tutandam pignore reos obstringere. Quorum ut illud saepe evenisse in exercitu Romano facile concesserim, ita hoc non modo non imperatorum aetate (quod jam Te credam mihi concessurum), se ne liberae quidem reipublicae temporibus moris fuisse in militia pertinaciter contendo. quis enim sibi persuaserit vel liberae reipublicae tempore Ro-

---

Gell. 7, 10, et ex Varronis, de ling. lat. p. 49 Bipont. Cf. Göttling Geschichte der röm. Staatsverf. p. 367.

(13) Constat ex Liv. 1, 43 et Cicer. de rep. 2, 20, hanc pecuniam institutam fuisse ut orbi orbaeque (cf. Niebuhr hist. Rom. I p. 491 ed. noviss.) quotannis certis quibusdam equitibus darent; non igitur nisi ab his licuisse equitibus pignus capere censendum est. Ceterum vide Göttling Geschichte der röm. Staatsverf. p. 257.

(14) cf. Varron. apud Gell. 14, 7 extr. Cicer. de orat. 3, 4 extr. Liv. 3, 38; 37, 51; 43, 16 etc.

manos ob delicta pignora capere a militibus voluisse, mox ut pecuniam darent rei, quum multo minore negotio eandem judicii sui severitatem ita possent exercere, ut quod militibus debebatur stipendium, reis non darent? nam ne quis putet, majorem nonnunquam multam irrogatam fuisse quam quae aequaverit simplici militum stipendio, illud monitum velim, iisdem illis temporibus videri plerumque non per singulos dies aut menses stipendium datum fuisse, sed post finitam demum unius anni expeditionem, ut magna profecto, illis scilicet temporibus, singulis militibus accreverit pecuniae copia (15), qua minuta vel tota in aerarium delata, illa qua volebant poena milites afficere potuerunt facillime; et quamvis postea non jam exacta demum unius anni opera milites annua aera accipere solerent, sed per breviora temporis spatia breves quasdam annui stipendii particulas ferrent (16), vel hoc tamen non video

(15) Praesertim quum, licet plerumque semestrem tantum militiam colerent milites, illis certe temporibus annuum tamen stipendium acciperent; cf. Liv. 5, 4 med. Quod autem dixi initio post finitam demum expeditionem plerumque stipendium dari solitum fuisse, id jure inde videor colligere posse, quod initio militibus tribunos aerarios solvisse stipendium probare videtur Catonis locus apud Gell. 7, 10, item Varronis de ling. lat. p. 49 Bip.; nam hos sequutos esse exercitum neque memoratur a quoquam nec per se verisimile est; ut in ipsa urbe necessario stipendium solveretur, i. e. expeditione finita. Quamquam video huic opinioni quae opponi possint; primum enim quaestoribus, inde ab anno 333 U. C. exercitum sequi solitis, hanc quoque fuisse jam tum provinciam ut stipendium solverent militi, suspicari quispiam possit vel solo fretus Asconii Pediani testimonio (ad Cic. in Verr. 1, 13). Verum hoc aliquanto recentioris temporis institutum fuisse arbitror; certe si jam tum moris fuisset, ut quaestores, non tribuni aerarii, militibus stipendium solverent, per nimis breve temporis spatium antiquior ille solvendi stipendii modus viguisset quam qui memorari a Catone et Varrone ea qua fit ratione potuisset. Deinde non sum ignarus, interdum jam tum imperatoribus bellum gerentibus missum esse stipendium: vid. Liv. 5, 12 med. et extr. Sed ne hoc quidem multum valebit in contrariam partem, quum isto certe loco factum sit finito anno, licet nondum reverso domum exercitu.

(16) Quando primum militibus nondum reversis domum sed bello etiamtunc occupatis singulae stipendii annui particulae persolutae sint, certis testimoniis nequeo probare; videtur autem primum eo tempore

quam magnam probabilitatis speciem Francogalli opinioni conciliet, quum vel sic tribuni minore fungerentur negotio, si in tabulas referrent per breve aut majus tempus reis non esse stipendium solvendum, quam si pignora ab eis exigerent. et solitas esse talibus notis instructas tabulas in numerando stipendio adhiberi et Festi locus indicat supra ascriptus (17), et apertis verbis narrat Isidōrus Orig. 1, 23 p. 40 Lind.: „in breviculis quibus militum nomina continebantur, propria nota erat apud veteres qua inspiceretur quanti ex militibus superessent;“ et post paulo: „in stipendiorum quoque largitione propriae erant notae.“ —

Deinde, — concedamus enim paulisper, tribunos pignora capere quam faciliore illo negotio agere maluisse — quid tandem impulerit eos ut hastas sibi pignoris loco dari jusserint, res parvulo sumtu aliunde reparabiles, quae non potuerunt, opinor, quemquam incitare ut aes, magni rem ut in illo tempore pretii, undique corraderet eoque tribunis oblato hastas suas repigneraret, praesertim quum non publicis expensis tum quidem arma militibus darentur, sed suo quisque sibi studio arma pararet (18), quo factum est, ut si quis nollet hastas re-

---

factum esse, ubi extra Italiam bellum gestare et diutius Roma abesse exercitus coeperunt; et est ex isto tempore ejus rei exemplum a Livio traditum 28, 25 seqq. Sed videant doctiores, possintne vetustiora etiam exempla proferri.

(17) cf. not. 6.

(18) Id vel eo patet quod apud Livium 1, 43 in descriptione classium Servianarum legitur, militibus esse arma imperata (non data), quibus concinunt quae Dionysius (4, 16 et 17) in eadem re posuit verba: ὅπλα φέρειν ἐπέταξεν vel προςέταξεν. Quodsi tamen aliquot apud Livium loci extant quibus aliquot annis post armamentaria publice instituta exercitus causa fuisse legimus (cf. modo Liv. 9, 29; 28, 45; 29, 22; 44, 14 et alibi saepius), ea judicandum est propterea instituta esse, ut haberent milites quibus fracta aut erepta hastae aut gladii scutave essent, unde statim et suo aere damnum resarcirent. Huc enim pertinent Polybii verba, 6, 37 extr.: τοῖς δὲ Ῥωμαίοις τοῦ τε σίτου καὶ τῆς ἐσθῆτος, κἄν τινος ὅπλου προςδεηθῶσι, πάντων τούτων ὁ ταμίας τὴν τεταγμένην τιμὴν ἐκ τῶν ὀψωνίων ὑπολογίζεται. Caeterum non idem valet de poste-

luere non esset quod magnopere tribuni de aucto aerario gloriarentur. Sed quo magis etiam incredibilis videatur Francogalli opinio suis ipse verbis invitus effecit. quum enim dicit, militem qui solvendo non fuerit hastam suam pignoris loco obtulisse, ita videtur statuisse, una tantum hasta unumquemque instructum fuisse. Quod si revera putavit, erravit egregie et plus etiam ad obloquendum ansae dedit. Et erroris quidem multi eum convincunt veterum loci, quibus binas non minus hastas plerumque milites gestasse legitur (19); quod autem plures etiam isto errore afferri dubitationes dixi, id quo tendat statim dicam. Finge enim Tibi animo, aliquando plures numero in exercitu Romano hastam oppignerasse nec jam armatos fuisse nisi brevi illo gladio scutoque: quid tales profecturos in pugna fuisse putas, ad quam feliciter sustinendam tam multum conferebat apud Romanos hastarum vis? Profecto mirum illud fuisset poenae genus, quo accidere poterat ut flagrante bello, urgente hoste, procul remota patria urbe, quae novos statim milites mittere ipso pugnae tempore non potuit, ipsi exercitus duces quasi sua sponte victoriam spernere, certe non ita magno studio consectari viderentur. Sed sive revera in hunc modum de hastarum numero Francogallus erravit, sive ipse erravi nimis cupide ejus verba sectatus, id ad disputationis nostrae summam non multum refert, quum vel sic illud effecisse videar, non potuisse ullum poenae genus excogitari, quod majus afferre potuerit detrimentum. Quod qui probant ii ne illam quidem istius opinionis interpretationem admitti velint qua possit aliquis ejusmodi pignoris capionem in id transferre velle tempus quo nondum stipendium militibus sol-

riori tempore quo publico sumtu militibus arma esse data sat multis constat indiciis; vide modo Digestor. libr. 49, tit. 16 l. 14 § 1.

(19) Id accuratius hic ob rei ambitum demonstrari nequit; satius igitur duxi locos tantummodo aliquot veterum indicare quibus de hastarum numero diserta extat mentio, Liv. 8, 8 med. (cui comparandus Varronis locus apud Nonium sub gaesa); Liv. 26, 4; Polyb. 6, 20 seqq. Veget. 2, 15 seqq.

vebatur (20); in id enim quum non cadat ea ratio qua supra demonstravi facilius potuisse multas pecuniarias irrogari, — facilius enim fuisse negotium, vel toto stipendio vel parte ejus privare milites, quam dato semel stipendio pignus capere quo ad pecuniam solvendam obstringerentur, — ob eam igitur causam possit sane aliquis suspicari, isto quidem tempore nonnunquam hastas oppigneratas a militibus reis fuisse. Item, quum sociorum milites nullum a Romanis stipendium acciperent, sed a sua civitate his laborum praemiis donarentur (cf. Liv. 27, 9), possit quispiam, qui pertinacissimi sit ingenii, Francogalli de censione hastaria opinionem in hunc arctissimum orbem compulsam tamquam ex arce defendere velle. — Sed quid ego fingere quempiam credam quibus confirmet ficta eaque tam mirabili modo ficta, ut ventilatoris potius sermonem lusorium quam severi verba magistri, veritatem sectantis, audire tibi videare?

Iam pudet fere plura de Francogalli opinione addere verba; sed ut radicitus eam ex lectorum animis revellam nec quicquam restare dubitationis patiar qua commoti ad ejus sententiam relabantur, aliud insuper addo, quod vel per se satis magnam vim habiturum crediderim, ut Francogalli spreto commento aliam censionis hastariae notationem aliunde petamus. Fallorne enim an recte auguror multos fore qui id explicatum sibi a Francogallo velint, qui factum sit ut istud multae irrogandae genus censionis nomine increbuerit, quum ejusmodi poenae constituendae rationem potius aestimare litem quam censere Romani constanti usu nuncupaverint. Hoc qui me justo calidius pronuntiasse putant eos rogatos volo ut si quos afferri posse locos putant mihi adversantes, unum saltem mihi commonstrent talem quo iste litis aestimandae actus censio

(20) Haec ego non addidissem, si persuasisset mihi Niebuhrius, stipendium militibus non anno demum 403 a. Chr. quod veteres ad unum omnes affirmant, sed multo prius jam dari solitum fuisse. Quod cur non probem longiorem desiderat disputationem quam qualem hic locus capiat.

appelletur serio (21); quod verbum quemvis ad censorem potius ejusque notas, quas vocabant, ducere statim debebat. Nam ad censorem istud verbum proprio jure pertinere vel e Varronis originatione, de ling. lat. p. 24 Bip., apertum est, „censor, ad cujus censionem i. e. arbitrium, populus censeretur." Quanto autem magis huc referre vocem Festi interpretes debebant, qui apud eundem legerant haec verba, quantivis illa pretii, pag. 41 Lindem. = pag. 54 Müll.: censionem facere dicebatur censor, quum multam equiti irrogabat. Iam vide quo tendam: si auctores censionis hastariae censores fuerunt, non potest Francogallus verum assequutus esse, quum in ipso bello procul ab urbe milites ea affectos poena fuisse putarit; nam censores exercitus sequi consuevisse nec ullus veterum scriptor memoriae prodidit nec cuiquam unquam posse in mentem venire crediderim. Et ut sint sequuti, ne sic quidem ex Francogalli quidem opinione de censoribus potest ut ejus poenae auctoribus cogitari; in levioris enim generis delictis talibus, quae censione hastaria vindicata putat, tribuni militum sedebant judices: cf. Polyb. 6, 35 Gron.; Liv. 28, 24; Veget. 2, 7; Digestor. 49 tit. 16 l. 12 § 2.

Nunc exhausta tela sunt omnia quibus Francogalli opinionem me sperabam profligaturum; id si Tu prospere cessisse mihi censebis, non erit ut meae me poeniteat conjecturae, mox enarrandae ordine; sin minus censebis nec omni carere veritatis specie Belli conjecturam statues, ne sic quidem poenitebit aliam proposuisse, quam certe non minus probabilem Te judicaturum esse persuasum habeo. Sed eam dum explicare aggredior, rem video paulo altius esse repetendam.

Satis constat inter omnes, civitatis Romanae formam eam qua pro suae quisque rei familiaris copia honores nancisceba-

(21) Nam quod Plautus Aulul. 4, 1, 14 sibi licitum putavit in his: qui ea curabit, abstinebit censione bubula, item in Rud. 4, 8, 9 (qui locus totus legendus), id comico condonandum est. — A posterioribus demum scriptoribus censio coepit de quovis judice dici idemque significabat quod sententia; cf. Kopp. ad Martian. Capell. 1 § 91 p. 131.

tur, ad Servium Tullium auctorem Romanos retulisse, qui ex censu descriptis per classes civibus suum cuique classi et in republica administranda auctoritatis, et in bello gerendo honoris locum assignaverit. Ejus descriptionis duos habemus veterum scriptores qui accuratiorem mentionem fecerunt, Dionysium Halicarnassensem alterum, alterum Livium (22). Sed hi cum in aliis nonnullis discrepant quae uberius persequi ab argumento nostro alienum est, tum de quinta classe diversa tradunt; alter enim, „quinta," inquit, „classis aucta, centuriae triginta factae, fundas lapidesque missiles hi secum gerebant; in his accensi, cornicines tubicinesque, in tres centurias distributi." Dionysius autem ita peroravit (23): *τὴν δὲ πέμπτην μοῖραν — εἰς τριάκοντα συνέταξε λόχους — τούτους ἔταξε σαυνία καὶ σφενδόνας ἔχοντας ἔξω τάξεως στρατεύεσθαι κ. τ. λ.* In his primum illud advertat velim animum, secundum Livium quintae classis milites arma non habuisse nisi fundas lapidesque missiles, de Dionysii autem sententia praeter illa etiam *σαυνία*. Quorum utrum verius sit, non potest magnopere ambigere qui reputaverit quale utriusque scriptoris in isto loco consilium fuerit. Etenim quum descriptio illa tum ad ordinem et vim suffragii ferendi, tum ad bellum administrandum pertineat: Dionysius isto quidem loco nihil voluit demonstrare, nisi quid inde in exercitum bello occupatum redundaverit (24); nam qualem ad suffragia ferenda vim habuerit, id postea demum, toto interposito capite, exposuit de integro; at Livius duas istius descriptionis quasi partes, quibus tum ad civitatem administrandam, tum ad bellum gerendum pertinebat, intra unius capitis ambitum comprehendit, et ita comprehendit, ut quatenus ad reipublicae domi administrandae formam spectarit descriptio, gravius ipsi ac memorabilius visum sit. Quae quum

(22) Dionys. Hal. 4, 16 seqq. Liv. 1, 43.

(23) Dionys. Hal. 4, 17.

(24) Inde factum ut in eadem narratione de locis quoque monuerit quos singulae classes in pugna obtinuerint (4, 16 quinquies), item de eligendis ducibus (4, 17 extr.) etc.

ita sint, non dubito quin jure Dionysii sententiam amplecti videar — nisi forte quis majorem ei velit fidem habere, qui quasi obiter rem attigit, quam ei qui de industria in rem inquisivit, — praesertim quum aliis quoque insistens vestigiis eodem delatus sim. Invenerat enim Livius (25) apud annalium scriptorem nescio quem exercitus Romani formam posteriore tempore aliquatenus fuisse immutatam, eamque narrationem quum suis inserere vellet libris, postquam ita exorsus est: „clipeis antea Romani usi sunt; deinde postquam stipendiarii facti sunt, scuta pro clipeis fecere, et quod antea phalanges similes Macedonicis, hoc postea manipulatim structa acies coepit esse; postremo in plures ordines instruebantur," deinde ad accuratiorem rei descriptionem transgreditur. Sed in illis primum de armis nihil vides notari nisi clipea mutata esse; cetera igitur arma eadem mansisse atque Servii temporibus fuerint censendum est; neque in sequenti Livii narratione quicquam legitur quod contra valeat. Deinde in eodem exordio manipulatim strui aciem et plures ordines instrui coeptos esse narrat, non item, Servii descriptionem, qua qui ejusdem erant classis sive provectiores erant aetate et usu exercitatiores sive juniores et tirones similem obtinebant in acie locum: eam igitur descriptionem prorsus esse abolitam non item narrat. Quodsi tamen postea Livius triarios veteranum militem spectatae virtutis et rorarios minorem aetate factisque manum appellat, id eidem ascribendum esse errori, quo alia quoque posteriori tempori propria immiscuerit eidem narrationi, primus sagaciter vidit Niebuhrius, quem omnibus suam probaturum sententiam speraverim, qua tum ceteros milites etiamtunc per classes descriptos, tum rorarios quintae classis milites fuisse ingeniose demonstravit (26). Atqui rorarii quomodo armati fuerint quantum

---

(25) cf. ipsum Livium, 8, 8.

(26) Niebuhr. hist. Rom. III pag. 114 seqq. Contra quem quae Goettlingius de interpretando Livii loco disputat, Gesch. d. R. Verfass. p. 365, probari non possunt. Nam quod tres diversas aciei formas indicari a Li-

hic quidem sufficit etiamnunc sciri potest. Etsi enim nihili est Ennii versus quem in hunc modum produxit Salmasius, de re milit. Roman. pag. 152 (ed. Lugd. 1657):

spargit rorarius hastas, fit ferreus imber,

memoriter ille citando ut arbitror corrumpens verba, quae ita leguntur apud Macrob. Saturn. 6, 1 pag. 160 ed. Bip.

hastati spargunt hastas, fit ferreus imber,

compensatur tamen quod ita de manibus elabitur testimonium alio non minus idoneo Lucilii aut certe Nonii Marcelli. Hujus enim haec verba sunt, de propr. sermon. pag. 552 ed. Mercer. (cap. 8, de genere armorum): Rorarii appellabantur milites qui antequam congressae essent acies, primo non multis jaculis inibant proelium, tractum quod ante maximas pluvias coelum rorare incipiat. Lucilius Satirarum libro septimo

quinque hastae aureolo cinctu rorariu' velis.

Idem libro decimo: pone paludatus stabat rorariu' velox etc. Haec Nonius, quem quae de non multis rorariorum jaculis monet, ex integriore Lucilii versu collegisse oportet; quatenus enim nunc servatus est versus, mutilus est nec potest ullis interpretandi machinis id effici, ut pro testimonio sit, rorarios quinque hastis fuisse armatos. At Nonii uti poterimus testimonio, jacula gestasse rorarium affirmantis, — neque enim video cur diffidamus hic quidem homini, — unde conficiatur nostra haec disputatio; nam si jaculis armati fuerunt rorarii iidemque non diversi a quintae classis Servianae militibus, apparet cur Dionysii auctoritatem amplecti malue-

---

vio putat his verbis: quod antea phalanges similes Macedonicis, hoc postea manipulatim structa acies coepit esse; postremo in plures ordines instruebantur — referri enim postremo ad antea et postea — ratum haberi nequit, quum ita non antea, sed primum scribendum fuisset; illud enim qui poterit ad duo diversa temporis momenta simul referri? Nec magis verum est (ut hoc quoque addam) principes non fuisse in ordines divisos, id quod ipsa Livii redarguunt verba haec: hastatos — recedentes in intervalla ordinum principes recipiebant.

rim, Livium autem statuerim in Servianarum classium descriptione paulo negligentius ad nostram quidem rem egisse. Quamquam, ut verum fatear, ne Dionysius quidem omnis expers incuriae est. Nihil enim ille de accensis sive accensis velatis retulit, quos tamen veterum scriptores et quintae classi ascriptos et reliquum exercitum in bello sequutos fuisse memoriae prodiderunt. Qui quidem Dionysii error quoniam facilis erat, quum et rorarii sive quintae classis cives, et accensi ἔξω τάξεως (27) stipendia facerent possentque facile unum tantummodo militum genus videri, i. e. rorarii omnes: iste igitur error ab aliis quoque commissus est, ut a Paulo (28), sive ipse erravit sive veterem propagavit errorem dum haec scripsit: „ascripticii, — hos et accensos dicebant, — quidam velatos, — nonnulli ferentarios, — alii rorarios;" at diversum utrumque militum genus fuisse Livii et Plauti testimoniis constat (29), et res persuadet ipsa. Rorarii enim sive quintae classis cives, ut et ipsi erant ψιλοί, ita tamen paulo gravius erant armati, quippe qui jacula gestarent; at accensos velatos exercitum sequutos esse nec milites fuisse legionarios, sed in ipso demum proelio in mortuorum militum (30) locum substitutos fundisque tantum ac lapidibus proeliatos fuisse, haud obscure indicant veteres, ut Paulus (31): „velati appellabantur vestiti et inermes qui exercitum sequebantur quique in mortuorum militum loco substituebantur. ipsi sunt et ferentarii, qui fundis ac lapidibus pugnabant;" idemque alio loco (32): „adcripticii, vel,

(27) Haec ipsa Dionysii ea de re verba sunt, 4, 17 med.

(28) Paulus sub ascripticii p. 14 Müll.

(29) Liv. 8, 8: secundum vexillum rorarios ducebat, tertium accensos. Plautus in Frivolaria apud Varron. de ling. lat. p. 92 Bip.: ubi rorarii estis? en sunt! ubi sunt accensi? ecce!

(30) Rorariorum puto; nam in gravis quoque armaturae locum substitutos accensos fuisse non est credibile. Ceterum quod hic et in sequentibus inermes dicuntur fuisse, id non ita intelligendum esse quasi nulla habuerint arma, sed ita tantum, nulla eos habuisse arma graviora (inter quae hastam quoque referebant) per se patet.

(31) Paulus s. velati p. 369 M.

(32) Idem s. ascripticii p. 14 M.

uti quidam, adcriptivi (33), dicebantur qui supplendis legionibus adscribebantur; hos et accensos dicebant quod ad legionum censum essent ascripti; quidam velatos quia vestiti inermes sequerentur exercitum; nonnulli ferentarios quod fundis lapidibusque proeliaturi ea modo ferrent quae in hostes jacerent;“ item Varro (34): „adscriptivi dicti quod olim adscribebantur inermes qui succederent armatis militibus, i. e. si quis eorum deperisset,“ et rursus alio loco (35): „— accensi vocabantur; eosdem etiam quidam vocabant ferentarios qui depugnabant fundis lapidibusque, his armis quae ferrentur, non quae tenerentur.“ Quodsi hoc erat armorum discrimen utriusque militum generis, qui ceteroquin ejusdem erant usus ut qui *ἔξω τάξεως* pugnarent, facile hoc quoque potest explicari qui factum sit, ut Livius quintam classem non nisi fundas lapidesque missiles gestasse narraverit: quippe in totam classem transtulit quae de una tantum ejus parte valebant. Sed missa ultima classe punctum saltem temporis contemplemur reliquas, quas tum aliis instructas armis, tum hastis armatas fuisse Dionysius et Livius summo consensu tradiderunt; quamquam quod Livius hastas, Dionysius *δόρατα* gestasse omnes affirmarunt, uterque communem loquendi usum sequutus videtur quo hastae vel *δόρατος* nomine totum ejusmodi telorum genus comprehendebatur (36); eundemque usum nos quoque

---

(33) Sic recte si quid video correxit G. L. Walchius, praeceptor olim noster, ad Tacit. Agricol. p. 266; in codicibus erat: veluti quidam scripti dicebantur.

(34) Varro de ling. lat. p. 92 Bip.

(35) Idem apud Nonium s. decuriones = Varron. fragm. p. 245 *Bip.*

(36) Hasta generale nomen fuisse imprimis ex talibus locis apparet quales sunt Servii ad Virg. Aen. 7, 664: pilum hasta Romana, ut gaesa Gallorum, sarissa Macedonum, — aut Festi p. 326 Müll.: Samnitibus nomen inditum — propter genus hastae quod *σαύνια* appellent Graeci. — Sed idem aliunde quoque demonstrari potest; ita Livius 8, 8 triarios hastas in terra fixisse tradidit quos pilo armatos fuisse e Varrone constat, de ling. lat. p. 26 Bip.: pilani dicti qui pilis pugnabant; — pilani triarii quoque dicti. — Item hastati dicti qui, ut Varro refert l. l., hastis pugnabant, etsi ex parte saltem gaesis utebantur; cf. Liv. l. l.

sequemur dum quae uberius hucusque disputavimus in hanc brevem contrahimus summam, ex classibus tantummodo qui conscripti fuerint milites hastas gestasse, accensos non gestasse.

Quae hucusque exposita sunt ad viam muniendam videbantur necessaria, qua tum ad alia explicanda, tum ad veram censionis hastariae vim inveniendam tuto pede possimus progredi. Sed ex illis duas res hic breviter attingam, quoniam vel aliquid conferunt ad illustranda ea quae antecedunt vel cum censione hastaria quodam quasi vinculo conjunctae sunt. Atque primum quidem tralaticium olim fuit inter antiquarios Romanos (37), Quirinum ac Quirites appellatos Romulum et Romanos fuisse a voce quiris quae Sabina lingua significarit hastam; eamque originationem mirum est a recentioribus ita spretam esse ut paene jam in oblivionem abire coeperit; scilicet nimio saepe contemtu infestantur Romanorum derivandarum vocum conatus, quos sane stultus esset qui ubique vellet praedicare. At populum quendam ab eis armis quibus imprimis usus est nomen sibi imposuisse, non ita absurdum est firmaturque aliis exemplis plurimis; nihil nunc Germanos, Longobardos, Saxones, Francos morabor, quos ab armis nomen ex plurimorum opinione traxisse inter omnes constat; nec Cheruscos (38) memorabo aut Suardones (39), quos non sine veritatis specie indidem habuisse nomen alii suspicati sunt; unum satis est adjicere exemplum, quod ad Romanos Quirites paulo propius accedit; nempe Sabini, qui cum illis aliquo affinitatis vinculo conjuncti erant, et ipsi nomen ab eisdem armis habebant Festo teste, p. 326 Müll.: „Samnitibus nomen inditum esse tradit ...... propter genus hastae, quod σαύνια appellent Graeci,“ unde profecit Paulus Diaconus, de gest. Lon-

(37) cf. Ovid. Fast. 2, 477; Serv. ad Virgil. Aen. 1, 292; Fest. fragm. v. Quirinus p. 254 Müll.; Paulus s. curis p. 49 Müll.; Macrob. Sat. 1, 9 p. 239 Bip.; Isidor. Orig. IX, 2, 84 p. 291 Lind.

(38) cf. qui de Germanis eorumque viciuis doctissime nuper scripsit Casparum Zeufs, p. 105.

(39) cf. eund. p. 154.

gobard. 2, 20: „porro Samnites nomen accepere olim ab hastis quas ferre solebant quasque Graeci samia appellant," ubi ocius corrige istud samia, quod graecum quidem non est. Postremo eodem, quo tendimus, haec ducunt Festi verba, p. 205 Müll.: „Pilumnoe poploe in carmine saliari, Romani, velut pilis uti assueti." Enunquam autem dubitabit quisquam quin ista Romanorum appellatio non inepta sit, ubi reputaverit quod hucusque fere delituit, eos omnes quos optimo jure possis cives Romanos appellare, i. e. cives classibus ascriptos, hasta armatos fuisse, reliquorum autem cum armorum genere ipsa quoque jura paullulum fuisse imminuta nec integrum mansisse „jus Quiritium." Hinc continuo ad alterum deducimur cujus constitueram mentionem facere. Est enim apud omnes pervulgatum, Romanos viros fortes hasta solitos fuisse donare (40), quem morem in ultima imperatorum tempora perdurasse sat multis constat scriptorum testimoniis (41); nec fuit tamen hucusque qui ejus moris origines indagare causasque explorare sustinuerit; immo multi ne cogitasse quidem videntur quam sit memorabile, inter tam multa arma nihil electum fuisse quo donarentur milites, nisi solam hastam. Atqui non est quod verear, ne, ut ille ait, cum ratione insanire videar, si ita existimare me de dono isto profitebor, hasta initio non nisi tales viros fuisse, si fortiter pugnassent, donatos qui classibus nondum fuissent ascripti, sive accensi fuerunt sive proletarii, quos nonnunquam certe et in tumultu olim stipendia fecisse scimus (42), sive clientes et peregrini aut cives sine suffragio (43), exercitum Romanum sequuti; id autem donum symbolum quasi fuisse, quo veris jam civibus Romanis tales viros ascriptos esse indicatum sit; postea autem mutatis moribus et

(40) cf. Festus sub hasta et s. optionatus; Servius ad Virg. Aen. 6, 761; Polyb. 6, 37 Gronov. Sall. Jug. 85, § 29.

(41) cf. Tacit. Ann. 3, 21; Suet. Claud. 28; Vopisc. vit. Prob. 5; vit. Aurelian. 13 inscript. Orell. passim.

(42) cf. Gell. noct. Att. 16, 10.

(43) De his cf. Madwig. opuscul. p. 244.

omissa pristina ejus donationis significatione idem donum iis quoque contigisse qui revera jam fuerint cives Romani (44). Institutum autem illud, cujus hanc primam fuisse originem mihi videri professus sum, cum censione bastaria quodammodo conjunctum puto, eamque opinionem dudum conceperam animo quum idem suboluisse Godwyno cuidam videbam, quem unum haud procul a vera Festi de censione hastaria sententia afuisse credo; is enim, „censio,“ inquit (45), „hastaria fuit ex poenis militaribus; quemadmodum enim illi qui res egregie gesserant, hasta pura donari summo honori duxerunt, ita vicissim non exigua erat ignominia hastam resignare;“ quae etiamsi non perfecta omnibusque numeris absoluta disputatio est, et fortasse ne ea quidem qua putabam mente posita, fecit tamen ut multo majore fiducia de mea opinione judicare coeperim; quam paucis expositam verbis hanc habe, Vir Reverendissime: quemadmodum qui classibus non intererant, sed fortiter tamen militiae digneque Romana republica se gesserant, accepta hasta inter proeliantium civium classes referri solebant, ita qui delictum aliquod grave in se admiserant milites Romani, classi cuidam ascripti, hastam ponere et inter accensos stipendia facere cogebantur. — Atque haec quidem maximam partem nituntur iis, quae supra de discrimine armorum quod inter classium milites et accensos intercesserit exposita sunt, ut illis semel probatis quae isti fundamento superstructa nunc conjectura est accuratiori disputatione paene non indigeat. Sed

---

(44) Obiter moneo, simili donatione videri vexillariorum (i. e. emeritorum, sed nondum missorum militum) nomen explicandum, de quo parum prospere res cessit Walchio, ad Tacit. Agricol. p. 257 seq. Nam vexillis quoque, sive puris, sive coloratis, olim fortes donabantur: cf. Sallust. Jug. 85, § 29; Suet. Aug. 25, Vopisc. vit. Aurelian. 13, vit. Prob. 5, ubi vide Salmasium. Inscript. ap. Orell. (vexilla argent.) n. 4952, 3570, 3575. Quoniam igitur inter emeritos illos multi solebant esse vexillis donati, totum inde istorum militum genus nomen traxisse videtur.

(45) Excerpta haec ex Godwyni Anthol. Rom. 14, 5 leguntur in Pitisci lex. antiq. Rom. s. v. cens. hast. Ipsum enim Godwyni librum nondum licuit videre.

quo et Festi testimonio non temere me demonstrem usum esse, et statim quae mihi objici posse puto praevertam, postremo quo ejus poenae vim magis etiam explanem, ultra nitendum necdum figendum pedem duxi.

Ac primum quidem jam supra dixi Festi narrationem ita comparatam esse, ut censio hastaria non possit non videri ad censorium munus pertinuisse; id ubi primum mihi persuaseram, statim coepi ad eos veterum locos applicare animum quibus cognoveram de ignominiis a censoribus illatis accuratiorem factam mentionem esse, haud exiguam ratus conjecturae meae vim accessuram, si perspicuis eam veterum testimoniis commendari docerem. Sed qui plerumque accuratissime de multa censoria exposuisse dicitur personatus Asconius Pedianus, ad Cic. divin. 3 pag. 103 Orell. is non unam ob causam parum nobis satisfecit. Etenim „regendis moribus," inquit, „censores quinto quoque anno creari solebant; hi prorsus cives sic notabant, ut qui senator esset, ejiceretur senatu, qui eques Romanus, equum publicum perderet, qui plebejus, in Caeritum tabulas referretur et aerarius fieret, ac per hoc non esset in albo centuriae suae, sed ad hoc non esset civis, tantummodo ut pro capite suo tributi nomine aera penderet (46)." Quae apertum est nihil continere quod ad censionem hastariam pertineat; nam ne quis suspicetur, illud in Caeritum tabulas referendi negotium nonnunquam, i. e. in re militari, censionem

(46) Ultima in his verba magnopere offendunt; nam qui aerarios inque Caeritum tabulas relatos, cives non fuisse dicit tantummodo ut tributum pro capite solverent, is subindicat alia civium jura, velut suffragium, iis remansisse, id quod falsissimum est; cf. Gell. N. A. 16, 13. Nec quicquam proficimus, si aliorum librorum auctoritate non quod est ante esset delemus; qui enim aerarios eo tantum cives fuisse diceret ut tributum pro capite solverent, is cives optimo jure vel imprimis tributum pro capite solvisse indicaret, quo nihil potest esse magis absurdum. Ne multa: scholiastam ut cum historia reconciliem, non puto inducendum esse, tantummodo autem arctissime jungendum cum civis, ut civis tantummodo dictum sit quemadmodum uxor tantum (cf. Creuz. Compend. Ant. Rom. p. 87), opponaturque civi optimo jure; jam ut erit adeo ut.

hastariam esse appellatam, eamque sententiam ita studeat probare ut qui inter aerarios relatus sit e centuriis quoque ejectum tribuque motum esse moneat (47), quibus qui non ascripti fuerint non potuisse in legione stipendia facere, quum legio primum centuriatim, mox tributim conscribi solita sit (48): hoc igitur ne quis suspicetur, illud moneo, accensos quoque sine dubio potuisse inter aerarios referri, in quos tamen censionis hastariae nomen non quadrare apertum est; deinde nemo ita sese fatebitur perspicere, qui istud censionis hastariae nomen Verrii Flacci temporibus jam potuerit esse priscum et obsoletum vocabulum, quum ille civium inter aerarios referendorum mos procul dubio etiamtunc perduraret. — Quamquam igitur, ut dixi, nihil inest Asconii verbis quod ad censionem hastariam referri possit, alia tamen ratione aliquod in iis deprehendisse mihi videor vestigium quo ad meam firmandam conjecturam uti possim. Etenim quod et senatores et equites et homines de plebe singulari quemque modo censores notasse Asconius monet, id

---

(47) Ex centuriis classium ejectos fuisse qui aerarii fierent per se patet quum Asconius eos non jam fuisse in albis centuriarum moneat; sed quod in tribuum quoque tabulis aerariorum nomina expuncta, i. e. aerarios ex tribubus motos fuisse dixi, id inde patet quod qui tributum pro capite pendebant (Ascon.) et jus suffragii amittebant (Gell. 16, 13 coll. Liv. 45, 15), eorum non potuerunt nomina in tribuum tabulis legi quoniam in iis qui descripti erant ordinarium et justum pro censu tributum pendebant (cf. Varro de l. l. p. 49 Bip.), non tributum pro capite, et jus suffragii habuerunt quo aerarios caruisse diximus. Hinc illud quoque explicandum est quod plerumque tribu movere et inter aerarios referre junctim dici solebat — utrumque enim eandem vim habuit —; cf. Liv. 4, 24; 24, 18 et 43; 42, 10; 44, 16; 45, 15. Ceterum non sum ignarus, tribu motos eos quoque dictos esse qui ex tribu honoratiore in humiliorem dejecti fuerint; cf. Liv. 45, 15: „tribu movere, quod sit nihil aliud quam mutare jubere tribum," de quo recte statuit Huschkius, de Servio Tullio p. 557, qui de reliquis quoque his rebus conferendus p. 532 seq.

(48) Centuriatim primum milites conscribi solitos fuisse Dionysius monet 4, 19 init.; postea autem tributim milites nomina dedisse constat ex Polyb. 6, 17 seq. Gron. — Ceterum eos qui inter aerarios relati fuerint, militiae vacationem non habuisse ex Liv. 24, 18 certo videtur colligi posse.

non ex suo solius ingenio temere haustum aut casu videtur monuisse, sed quod veteri fama constabat unumquemque ordinem peculiari ratione a censoribus castigari consuevisse; eam famam quum cognovisset nec tamen accuratiorem et certiorem rei rationem sciret, suo Marte tripartitam istam animadvertendi rationem eo quo fecit modo comminiscebatur. Aliter enim non video quomodo gravissimum illum excusem errorem quem in censorio munere enarrando Asconius commisit. Quid enim? estne error omnium summus, quod plebejos tantum inter aerarios referri solitos fuisse dicit, quum sat multis testimoniis constet, et senatores et equites, patricios denique omnes, aerarios, si res ferebat, factos esse (49), eamque poenam, ut gravissimam ignominiam, ad omnem omnino populum Romanum pertinuisse (50)? Verum tamen etsi istum Asconii errorem statim rejicimus, non est tamen, opinor, simul id quoque temere abjiciendum, quod isti errori ansam dedit, vetus de propria uniuscujusque ordinis castigatione fama, praesertim quum eam ipsa rerum ratio aperte confirmet; quis enim facile sibi persuadebit, homines de plebe si quid admisissent, a censoribus summa statim ignominia, subtracto vel deminuto suffragii jure impositoque pro capite tributo, castigatos fuisse, quum qui senatores essent vel equites leviore primum ignominia afficerentur facinorum manifesti, et gravioribus demum commissis facinoribus summam paterentur ignominiam; quis, inquam, credet in senatorum equitumve delictis castigandis gradus quosdam poenarum fuisse, in plebejorum non fuisse? immo suadet ac propemodum flagitat summae aequabilitatis lex qua totam civitatem Servius Tullius temperavit, quamque post reges expulsos e civitate remotam, quum censoria aucto-

(49) cf. Liv. 4, 24; 24, 18; 24, 43; 29, 37; 42, 10; 44, 16; 45, 15; Gell. 4, 20 (bis); Valer. Max. 2, 9, 7 et 2, 9, 8; alii.

(50) cf. imprimis Liv. 29, 37: „M. Livius censor — praeter Maeciam tribum — populum Romanum omnem, quatuor et triginta tribus, aerarios reliquit.“ — Licet igitur mirari Huschkium qui (l. l. p. 495) ipse quoque eo inclinat, ut plebejos tantum inter aerarios referri solitos putet.

ritas crescere coepisset dudum restituerant plebejorum hominum conamina, ut quemadmodum senatores et equites in levioribus delictis leviore, in gravioribus graviore ignominia affecti sint, ita idem plebejos quoque attigisse credamus. Quodsi quaeritur qualis haec fuerit plebejis propria inferioris gradus poena, haud temere justo responso consulet qui analogia duci se patitur. Atqui equites vidimus censores ita notasse ut eos juberent equum publicum vendere, cui quidem ignominiae hoc quoque junctum esse potuit, ut qui modo equites fuissent jam inter pedites stipendia mererent (51); nec videtur dubitari posse quin hanc poenam Festus significarit ubi scripsit quae apud Paulum extant p. 54 Müll.: „censionem facere dicebatur censor quum multam equiti irrogabat;" nam ne quis Placidi glossam objiciat, quam Majus protulit in class. auct. e Vatic. cod. edit. Tom. III p. 449, eam huc non pertinere vel omissa equitum memoria indicat (52); nec constat de alia aliqua poena qua equites proprie affecti sint (53). Id si verum est, ipsum illud censionis hastariae nomen eo nos rapit ut quam quaerebamus propriam aliquam hominibus de plebe poenam, equitum illi similem, hoc ipso Pauli loco indicari statua-

(51) vid. modo Liv. 24, 18.

(52) Potest tamen in neutram partem certi quidpiam de ista glossa statui, quum et apud Majum aperte corrupta sit („censio multa qua citatos si non ponderum afficiebat censor"), nec lucem accipiat alia quadam lectione qua denuo eam edidit Dübnerus in Mus. Rhen. T. III p. 475 („censio multa quam citatusi non pederam censor afficiebat").

(53) Mirum tamen in hoc fuisset, si ista equitibus illata ignominia simpliciter vocata fuisset censio, praesertim quum quae ad pedites spectabat censio, censio hastaria vocaretur. Itaque videtur ita statuendum esse, ex integriore Festi articulo, in quo primum de censione in universum ac dein de singulis ejus generibus agebatur, Paulum partem tantum sumsisse, eamque discerptam atque — ut tum fere fieri solet — corruptam inter tres locos divisisse, quorum ultimum assignavit censioni universe dictae (p. 49 Lind.), secundum censioni hastariae (p. 42 Lind.), tertium censioni quae ad equites spectabat (p. 41 Lind.) quocunque tandem nomine accuratius definiebatur (nihil enim nunc libet hariolari), quod ipsum tamen cognomen temere Paulus omiserit.

mus. Quantum igitur ad rem ipsam, jam concedes Vir Reverendissime, opinor, non abusum me Pauli testimonio esse; nec quicquam reprobant verba quibus Paulus usus est; primum enim multam qui pertinaciter vellet de pecuniaria multa intelligere, is et originem vocabuli oblivisceretur (54), et minus curaret usum; namque ne alia afferam, Livius 24, 16 ita loquentem Gracchum coram militibus fecit: „citatos jurejurando adigam nisi queis morbus causa erit non aliter quam stantes cibum potionemque, quoad stipendium facient, capturos esse; hanc multam ita aequo animo feretis si reputabitis nulla ignaviae nota leviore vos designari potuisse;“ unde si nihil aliud, id saltem consequitur, in militari certe sermone multam etiam de ignominiosa poena dictam esse; id quod nobis quidem, qui in militari maxime instituto illustrando versamur, hic sufficit; nihil igitur impedit quin „multae nomine“ significare putemus „ignominiae causa“. Deinde qui ad vulgares grammaticorum canones omnia exigit examussim, eum necesse est magnopere offendant quae subsequuntur: „indicebatur quod hastas daret,“ quod ex nostra sententia voluimus esse; „indicebatur ut hastas daret,“ in tempore memores vel Ovidium ita loquutum esse, Trist. 5, 1, 15:

delicias si quis lascivaque carmina quaerit,
praemoneo nunquam scripta quod ista legat,

ubi, sat scio, non jam aliam probabit interpretationem novissimus editor Rudolphus Merkelius, vir amicissimus, qui de hoc quoque interpretandi modo consulendus (55). Quod autem ma-

---

(54) Fest. p. 142 Müll.: „multam osce dici putant poenam quidam.“ Paulus p. 143 M.: „multam osce dici putant poenam.“

(55) Novum ipse modum excogitaveram, quem litteris consignatum fortasse facilius amicissimo viro probabo quam quum ore traderem. Construendum autem putabam in hunc modum: praemoneo, nunquam (haec) scripta legat, quod ista (i. e. quoniam ita comparata sunt ut dixi v. 5 seqq.). De iste Reisigium comparasse juvabit in Vorlesung. über die lat. Sprachwiss. p. 362 init.

jus est, sub ejusdem Pauli Diaconi nomine extat historia Longobardica, unde boni hominis deliciae accurate cognosci possunt. Ubi quum „praecepit tubas insonare“ dicat (5, 10), „venire praecepit“ (5, 37), „intercedere rogans“ (6, 31), „facere mandavit“ (6, 49), infinitivo autem saepissime substituere soleat particulam „quod“ vel „quia“, ut „audivi quod“ (1, 6; 4, 53; 6, 48), „dixit quod“ (3, 32; 4, 44; 4, 53; 5, 7; 5, 38; 6, 5; 6, 6), „nuntiavit quod“ (4, 52; 5, 2 ter; 5, 3 bis; 5, 38; 6, 6 ter, 6, 58) „respondit, asserit, suggerit, clamat quod“ (4, 52; 4, 53; 5, 33; 5, 36), „cognovit, sensit, scit quod“ (5, 23; 6, 6; 6, 35; 6, 58), „refert fabulam quod“ (1, 8), „voverat quod“ (2, 27), „votum facio quod“ (5, 40), „promittens quod“ (4, 38; 5, 3) — ita igitur quum loqui soleat Paulus, quis magnopere ab eodem homine mirabitur „indicere quod“ dictum esse pro indicere ut (56). — Tum probe quidem novi, equites quoque gestasse hastas (cf. Polyb. 6, 23, Varr. de ling. lat. p. 92 Bip. ferentarii equites etc.), nec tamen eo impediri me passus sum quin quae de milite Paulus scripsit de solis intelligerem peditibus, non quo multum hic quidem tribuerem eorum observationi, qui pedites saepissime simpliciter vocari „milites“ monuerunt (57); sed putabam ut equitibus equum ita peditibus hastam ita propriam fuisse, ut licuerit Paulo in ea narrationis forma sine ulla ambiguitate militem dicere pro pedite. His excussis restat unum, in quo firmando ne ipsi quidem mihi plane satisfacio; concedendum enim, dare esse nimis ambigue dictum, et ponere vel simile quid futurum fuisse

---

(56) Ne quid omittam ex hac spurcitie, hoc quoque addere libet, dixisse Paulum in eodem de gestis Longobardorum libro 4, 40 „promittere ut“; 5, 2 „dixit ut“; 5, 39 „repromittere ut“. Tanta igitur libidine quum firmissima grammaticorum praecepta evertat, ecquis etiamnunc carpet, si liberiorem in talibus ejus locis interpretationem admittimus, quam qualem admitteremus in bonis et comptis scriptoribus?

(57) cf. Gronov. ad Liv. 26, 19, 10 et 28, 1, 5; Oudendorp. ad Frontin. 2, 3, 14. Sed quos hi et ab his citati locos afferunt, ii ita sunt comparati, ut in vicino positum vocabulum eques verum intellectum statim suppeditet.

aliquanto clarius et melius; at primum etsi nimis vagum est dare, non est tamen continuo etiam falsum; tum hic imprimis teneri velim, cum Paulo nobis rem esse, i. e. cum stupido parumque diligenti homine, quem non intellexisse omnia quae e Festi libro deprompsit ideoque ne potuisse quidem in verborum delectu vel mediocriter severo satisfacere judici tam est certum quam quod certissimum.

Alterum quode supra dixi pauca me additurum esse ad profliganda spectat ea quae meae possint conjecturae opponi. Quorum illud non multum facesset negotium quod ita putamus objici posse ut non perspicere sese quispiam dicat qui istud militum puniendorum officium ad censores pertinuerit; militum enim puniendorum vel tribunos vel, si quid gravius commissum fuerit, imperatores fuisse judices, eosque ubi ignominiosas poenas irrogatas fuisse militibus narretur, nominari fere solos qui irrogaverint. Id ut facile concesserim verum esse, ita non magnopere extimesco, qui sciam cum in universum mores disciplinamque populi Romani censores correxisse (58), tum equites qui turpiter in bello se gesserant ea ignominia castigasse ut eos vendere equos jusserint aut in aerariorum numerum retulerint (59), item senatores, si qua fuerint in bello macula aspersi, senatu movisse (60); postremo eosdem gregarios quoque milites castigasse, si recte satis interpretor l. 13 § 4 Digest. de re milit. (49, 16): „eum qui tribuno castigare se volenti restiterit, veteres notaverunt.“ Sed si eo tendit quod objectum est, ut parum credibilem demonstret rem esse quae, quamvis natura sua oporteat trita et vulgaris fuerit, a nullo tamen veterum scriptore diserte memoretur, in ta-

(58) Liv. 4, 8: „censura tanto incremento aucta est ut morum disciplinaeque Romanae penes eam regimen, — decoris dedecorisque discrimen sub ditione ejus magistratus essent.“

(59) cf. Valer. Max. 2, 9, 7 (coll. Frontin. 4, 1, 22) et 2, 9, 18.

(60) cf. Frontin. 4, 1, 32: „Fulvius Flaccus censor Fulvium fratrem suum, quia legionem in qua tribunus militum erat, injussu Consulis dimiserat, Senatu movit.“

libus praesertim locis quibus totum censorium munus expositum sit (61), — id igitur tali ratione objectum facilius plures posset commovere, ut nostrae diffiderent conjecturae. Verum hic quoque habeo quod respondeam. Etenim quum censio hastaria non nisi ultimum civium Romanorum ordinem, plebejos, attingeret, nec tam perspicua esset poena inque omnium saepe oculos incurreret, quam senatorum equitumve poena ignominiosa, — quippe quae foris tantum et militiae facile posset cognosci, quum senatoribus senatu motis privatisque lato clavo nigroque calceo et honorifica, ex quo isto honore ornati erant, in theatro sede, item equitibus, carentibus in solemni transvectione si quem antea habuerant (62) equo publico, — quum igitur his ante omnium saepe oculos ferenda esset ignominia a Censoribus illata: non potuit non evenire ut senatorum equi-

---

(61) Ut apud Cic. de legg. 3, 3, Liv. 4, 8, eund. 40, 46 („uno animo, uno consilio legatis senatum, equites recenseatis, agatis censum, lustrum condatis"). Alios locos addit Huschkius de Serv. Tull. p. 522 not. 15.

(62) Fuerunt enim postea inter equites, qui suis equis merebant, id quod Livio (5, 7 extr.) teste factum est an. 353 U. C. Neque enim Livii verba („tum primum equis suis merere equites coeperunt") de omnibus omnino equitibus intelligi possunt, quod passim factum legi, sed de iis tantummodo, quibus census quidem equester erat, at equi publici non potuerant assignari; vide ipsum Livium eod. cap. paulo super. — Sed simile quid antea quoque interdum esse factum, e Livii de L. Tarquitio narratione colligi licet, 3, 27, quem patriciae quidem gentis fuisse dicit, at propter paupertatem stipendia pedibus fecisse narrat. Quodsi opibus Tarquitius abundasset, videtur quod ordini suo consentaneum fuisset facturus fuisse, nempe ut suo equo mereret donec equus publicus ei assignari potuisset (cf. Liv. 27, 11). — Quamquam de Tarquitio quidem etiam aliter statui potest; factum enim esse potuit, ut publicus quidem equus olim ei assignatus fuisset, is autem bello periisset; hoc quibus accidisset eos verisimile est non denuo accepisse aes equestre ad comparandum equum, sed suo hunc sumptu restituere debuisse, aut, si non possent, inter pedites merere. Quum igitur duae certe explicandi loci Liviani rationes cogitari possint, mirum est Göttlingium (Gesch. d. r. St. p. 244 not. 2) inde contra Niebuhrium collegisse, patricios quoque secundum Servii Tullii ordinationem centuriis peditum ascriptos, nec eas plebejis proprias fuisse. (Haec dum scribo nondum vidi Peteri Epoch. der Verfassungsgeschichte der röm. Rep.)

tumque multa plurimorum celebraretur ore, censio hastaria vel perpaucis digna videretur quae sedulo enarraretur. Atque haec quidem maximam partem eos attingunt quorum e libris vel ore fluxerunt quae etiamnunc in scriptorum commentariis de antiqua Romanorum historia extant; qui quidem scriptores quum in antiquiorum libris vel raram vel nullam de censione hastaria mentionem invenirent, ipsi si voluissent, non potuissent tamen eam memorare; nimirum non potuit in ea usque tempora perdurare censio hastaria, quum Polybii jam aetate tum census in militibus scribendis et ordinandis vix ulla amplius ratio haberetur (63), tum omnes quicunque nomen militiae dedissent, hastis armari solerent (64), ut censio hastaria antiqua illa ratione irrogari non jam posset; quo oportebat evenire ut cum antiqua rei ratione Polybii jam aetate ipsum rei nomen, quod ista sola ratione nitebatur, paulatim ex memoria hominum recessisset, licet certum sit etiamtunc postque ea tempora milites reos interdum ita castigatos esse, ut qui inter triarios principesve vel hastatos, honoratius profecto militum genus, aut in prima cohorte, quae item majore gaudebat honore, stipendia meruissent, inter velites aut inferiores cohortes dejicerentur.

His ita expositis quod postremo facturum me promiseram ut meam de censione hastaria conjecturam explanatius trade-

---

(63) Id inde apparet, quod Polybius triarios seniores exercitatioresque milites appellat (6, 22 Gron.), principes florentis aetatis milites (6, 19), velites maxime juvenes (6, 19), hastatos paulo provectiores quam velites fuerint aetate (6, 21); item eo quod non jam distinguebant Romani inter triarios, principes, hastatos, rorarios, accensos, ut in antecedenti aetate, sed tantummodo, mixta ultima classe cum accensis, quo unum evaderet militum genus i. e. velitum, inter triarios, principes, hastatos, velites. — Sed aliquam tamen exiguam census rationem etiamtunc habitam fuisse, ipse innuit Polybius, de hastatorum cataphractis disputans (6, 21; cf. Boeckh. disquisit. metrol. p. 430), item de velitibus, inter quos non solum *τοὺς νεωτάτους*, sed etiam *τοὺς πενιχροτάτους* fuisse affirmat.

(64) cf. Polyb. 6, 20 seq. Gronov.

rem, faciliori non assequar ratione quam si quae sparsim modo memoravi in unum cogam inque brevem summam paucis additis novis contraham. Censores igitur Romani quo veterem disciplinam morumque severitatem, efficacissimum imperii Romani nutrimentum, inter cives servarent neve paterentur oblanguescere, variis ignominiis afficere solebant eos qui parum se dignos Romano nomine praestitissent. Quarum quae gravissime reos ulciscebatur ad omnes pariter cives pertinebat efficiebatque ut qui ei fuissent obnoxii, aut suffragii jus deminutum haberent — quos tribu motos dicebant — aut totum suffragii jus perderent, nec jam justum pro censu sed arbitrarium pro capite tributum penderent; hos item tribu motos vel aerarios appellabant. Aliquanto autem mitius alterum erat ignominiae genus, quod ubi illatum erat, non jura quidem civium minuebat, at famam et existimationem graviter affligere solebat. Et senatores quidem hac ignominia ita afficere censores solebant ut senatu eos moverent; equites ita ut equos publicos tradi juberent — id autem dicebant censionem facere, addita voce qua equites eam attingere indicabant, quam tamen hodie nescimus —, plebeii denique generis homines ita ut ejectos e classium militibus inter accensos stipendia facere nec nisi fundis lapidibusque missilibus, hasta deposita, proeliari cogerent; idque censionem hastariam nuncupabant. Horum priora quam attulerint ignominiam non opus est ut repetam; sed censionem hastariam quoque haud parum fuisse ignominiosam brevi exponam. Atque illud quidem statim in oculos incurrit quam acerbum fuerit ignominiaque plenum, homines ditiores magnaeque domi inque comitiis auctoritatis dignitatisque, militiae cogere inter eos semper versari quos fere despicatui habere solebant ob tenuem rei familiaris copiam et exiguam in suffragio ferendo auctoritatem. Accedebat etiam, prioribus certe temporibus, quo apertior fiebat ignominia, ut si quando dictatorem creassent Romani, qui inter accensos relati essent una cum ipsis accensis non haberent duces genere et ordine sibi

conjunctos, sed magistrum equitum (65), alio oriundum isto quidem tempore ordine, plebeiis plerumque infesto. Sed, id quod omnium erat gravissimum, videntur qui inter accensos stipendia fecerunt milites classibus antea ascripti aeque atque accensi electi esse, qui decurionibus vel centurionibus rerum privatarum essent ministri, quo facilius hi publica officia obirent. Quemadmodum enim domi magistratibus ministri erant accensi (66), ita militiae quoque ex accensis sumebantur qui ducibus ministrarent (67) optionum nomine, etsi eandem vo-

(65) Id colligendum ex Varronis verbis, de ling. lat. p. 24 Bip.: „magister equitum (appellatur), quod summa potestas hujus in equites et accensos," — de quibus aliter judicat Göttling. Geschichte der röm. Staatsverf. p. 255 not. 2, accensos ratus et ipsos equites fuisse eosque e prima classe centuriis equitum ascriptos. At ita sunt Varronis verba comparata, ut ad diversum militum genus trahi necessario debeant; alioquin enim et ipse dixisset, opinor, „in equites et equites accensos," ut fecit Goettlingius. — Quod autem ego magistri equitum in accensos i. e. in eos omnes, qui ἔξω τάξεως erant, potestatem fuisse dixi, eo comprobatur, quod equites quoque non interpositi continuo illi ordini, quem legionum milites servabant, sed in cornibus legioni additi erant.

(66) cf. Varr. de ling. lat. p. 92 Bip.: „accensos ministratores Cato scribit esse;" haec quid sibi velint ex eodem Varrone p. 75 et e Sueton. Caes. 20 explanari licet.

(67) Ex accensis tum hos, tum illos quos not. 66 nominavi sumtos esse etsi nemo veterum diserte tradidit, nomen tamen fidem facit. — Ceterum quod Varro apud Nonium s. accensi (cf Varron. frag. p. 210 Bip.) consulibus tantum et praetoribus accensos ministrasse memorare videtur („ut consules ac praetores qui sequuntur in castra, accensi dicti, quod ad res necessarias saepe acciantur"), — id non ita esse premendum tum ipse docet apud Nonium s. legio (p. 245 Bip.), tum Vegetius, 2, 19: „ad obsequia tribunorum nec non etiam principalium militum deputabantur milites qui vocantur accensi," — tum Paulus s. optio: „optio appellatur is quem decurio aut centurio sibi optat rerum privatarum ministrum, quo facilius obeat publica officia;" item Fest. ibid.: „optio qui nunc dicitur antea appellabatur accensus; is adjutor dabatur centurioni a tribuno militum etc.;" nisi Festi quidem memoria ad alios potius optiones spectat, de quibus statim monebo. — Ceterum mutata antiqua rei militaris ratione quum non jam essent in exercitu rorarii, accensi, velati, mansit tamen accensorum nomen eosque significabat qui nondum inter milites ordinarios rite recepti, tamquam supernumerarii exercitum sequebantur, mox ut deminuto exercitu paululum jam exercitati in legionem

cem honoratiore quoque significatione usurpabant (68). Praeterea olim de alio quopiam cogitabam damno cum ista poena conjuncto, quod item fuisset gravissimum. Si quis enim meminerit, ordines proprie pertinere ad legionem, quum qui additi essent accensi sine justo ordine et in agmine processisse videantur et in acie evagati sint: is si Varronis verba legerit a Nonio s. v. meret servata (Varron. fragm. pag. 210 Bip.): „qui in ordine erat, is aes militare merebat," — is igitur facile in eam sententiam delabi possit ut solos legionarios milites fuisse putet aerarios milites (ita enim eos vocasse videntur veteres, qui stipendium accipiebant, secundum Varronem de ling. lat. p. 49 Bip.), accensos autem quique inter eos ignominiae causa relati fuerint, non accepisse stipendium. Sed id nunc video paulo calidius esse conjectatum, sicque statuo, stipendium non accepisse qui in imperatoris gratiam aut alia quaecumque fuit causa volones exercitum sequebantur, quod saepe esse factum vel id docet quod proprius talibus in castris locus constitutus erat, teste Polybio 6, 28 Gronov. Et hanc quidem interpretationem egregie firmat Frontini locus, Strategem. 4, 1, 11: „Q. Metellus consul quamvis nulla lege impediretur quin filium suum contubernalem perpetuum haberet, maluit tamen eum in ordine merere."

Iam habes omnia, Vir reverendissime, quae de censione hastaria arbitrabar monenda esse, ac satis quod volui me puto comprobasse, ut nec addere quicquam opus esse nec demere videatur. Verumenimvero tametsi vel sic nimis loqua-

---

reciperentur; cf. Walch. ad Tacit. Agricol. p. 266 seq. Ex his tum sumebantur optiones isti, quos antea ex eis sumptos esse qui antiquo loquendi usu et secundum classium ordinationem accensi fuerint appellati, non videtur dubitari posse.

(68) cf. Veget. 2, 7: „optio appellatur qui antecedente aegritudine praepedito tamquam adoptatus et vicarius universa ejus curat." Adde Varron. de ling. lat. p. 27 Bip. coll. Fest. s. optio et s. optionatus. Ceterum recte monuisse videntur viri docti, hoc optionum genus a Polybio (6, 22) οὐραγούς, a Livio (8, 8) succenturiones vocari.

cem scripsi epistolam, hac tamen Tecum per litteras colloquendi voluptate quidni me patiar duci longius, quum Tua bono animo me humanitas esse jubeat, modo quae additurus sim, usum quendam suum habeant et ab argumento nostro non plane sint aliena. Quando igitur uberiore disputatione persequar, qualis poena posterioribus temporibus censionis hastariae loco fuerit, non nimis hoc ab eo quod tractavimus argumento recedet; adde quod ejusmodi disputatio fortasse hic illic aliquam etiam a novitate commendationem habebit, quum haec antiquitatum disciplinae pars quae ad rem militarem spectat nondum sit ita pertractata, nihil ut dubitationis relictum sit. Quotcunque enim data opera in has militares Romanorum antiquitates inquisiverunt, alii armis magis quam litteris studuerant atque in interpretandis scriptorum locis nimis saepe a vero aberrarunt; alii, qui a doctrinae copiis aliquanto essent instructiores, aut satis habebant summa rerum capita pertractasse et solida disciplinae fundamenta jecisse, minutissima autem quaeque doctrinae frustula fastidiose despicabantur; aut nimis se credulos praestabant et quae uni aut alteri aetati erant propria continuo vindicabant omnibus ac singulis, parum illi memores quod prudenter alicubi Polybius monet, Romanos, si quae ab aliis invenissent probe in re militari instituta, statim in usum suum convertere solitos fuisse. At si, qui huic doctrinae operam dederunt, ea voluissent via omnes progredi quam primus iniit Niebuhrius, non est dubitandum, quin hanc doctrinam haberemus expletam omnibus fere suis numeris et partibus; nec jam multum desideraremus eos veterum scriptores qui olim de re militari Romanorum scripserunt (69); qui enim unus fere nunc superest posterio-

(69) Libros eorum „qui de militari disciplina scripserunt“ in universum memorant Gellius 10, 9 et Servius ad Aen. 11, 284. Inter eos fuit Cincius, cujus de re militari librum tertium, quintum, sextum citat Gellius 16, 4; item Cato, cujus liber de re militari aliquoties memoratur a Festo, cui de indice libri jure majorem habebimus fidem quam Vegetio qui (1, 8 et 2, 3) de disciplina militari inscriptum librum fuisse innuere videtur. Multa porro quae huc pertinebant Varro in antiquita-

ris aetatis scriptor, Flavius Vegetius Renatus, tantum abest ut diligentem et fidelem quem promisit (70) laborem praestiterit, ut temere et sine ulla judicandi acie ea quae in antiquiorum libris scriptorum dispersa sunt collegerit, adeo ut impedimento potius sit ac saniori et accuratiori cognitioni officiat: nedum compensare quam in his litteris jacturam fecimus ullo modo posse videatur.

Sed unde paululum digressi sumus ut revertamur, i. e. ad censionem hastariam eamque poenam quae postea ejus loco fuerit, lubet hic a Frontini loco ordiri, Strateg. 4, 1, 17, ubi haec habes: „Senatus eos qui a Pyrrho rege Epirotarum capti et postea remissi erant, equites ad peditem redegit, pedites ad levem armaturam, omnibus extra vallem tendi jussis (71).“ Factum hoc ann. 474 a. u. c. quo anno nondum mutata fuisse videtur exercitus ordinandi et armandi ratio a Livio 8, 8 descripta, qua niti censionem hastariam docuimus. Quod igitur ad peditem, quidni tunc dicamus nihil aliud factum quam censionem hastariam? Nam quod a senatu poena irrogata fuisse dicitur, non a censore, potuit haec ignominia revera a censoribus esse illata, sed per quandam dicendi brevitatem a senatu dici indicta esse, quum aliud simul accederet poenae genus quod ad censores non pertineret. Quamquam id si parum Tibi probari dixeris, non multum reluctabor, modo hoc concedas, revera aliam poenam non esse irrogatam nisi eam quae, quotiescunque censores irrogaverint, censio hastaria appellata fuerit; atque ultro ipse largior (nec unquam volui negare), eadem poena potuisse pedites etiam ab aliis puniri quorum ea potestas esset, a senatu vel imperatore. Ac videtur sane ista militiae mutatio ab his multo frequentius irrogata fuisse quam a censoribus, estque hoc ipsum inter eas causas cur censionis hastariae memoria tam cito evanuerit.

---

tibus rerum humanarum expromserat; Cornelium Celsum, Frontinum, Paternum una memorat Vegetius 1, 8.

(70) Prolegom. ad libr. 1 et libr. 2, 3.

(71) Idem memorat Valer. Max. 2, 7, 15.

His ita positis jam poterit ad id quod supra in quaestionem vocavimus, quae poena posterioribus temporibus censionis hastariae loco fuerit, responderi facillime. Neque enim tum nova prorsus poena excogitata est quae ejus loco esset, sed ea remansit sola cujus censio hastaria certum quoddam fuerat genus, militiae mutatio eique juncta saepe gradus dejectio; haec enim poena antea, quando pedites attingebat et ab omnibus qui in legione erant gradibus militem excludebat inque accensorum numerum referebat, censio hastaria proprio nomine appellabatur si a censore irrogabatur; remotis autem causis quibus istud nomen nitebatur, omnem peculiari utendi nomine necessitatem tolli oportebat. Quae causae quum duae essent (quarum altera censionis nomen, altera hastariae nomen nitebatur), posterior statim tum evanuit, quum omnes Romani quicunque scribebantur milites hasta armari coeperunt (72); priorem autem causam et ipsam necessario statim evanuisse non dixerim, qui affirmare non audeam, censoribus posthac non jam licuisse peditem de gradu suo dejectum inter accensos referre et militiam mutare jubere; sed si licuit, quum censio hastaria non jam dici recte posset, aut aliquo alio nomine haec puniendi ratio appellabatur quam, uti nunc res est, scire hodie non possumus, aut, quod verius putem, nullo amplius peculiari nomine insigniebatur, ut gradus dejectionem militiaeque mutationem factam dicerent sive censores irrogaverant sive senatus vel imperatores auctores fuerant.

---

(72) Velites enim qui Polybii aetate in Rorariorum et Accensorum locum successerant, *γρόσφοις* armati erant (Polyb. 6, 20), fortasse septenis, si quid ex Livii narratione colligi potest, (26, 4) ubi quae jacula dicuntur postea (38, 21; adde Frontin. 4, 7, 29; Liv. 30, 35) hastae audiunt. — Ceterum non nego, jam tum sagittarios, funditores et hoc genus alios, qui hastis armati non erant, legionem sequutos esse; verum hi e Romanis non erant electi, nec legionis pars sed auxiliares erant (cf. e. g. Liv. 24, 30), i. e. Paulo Diac. p. 17 M. interprete: socii Romanorum exterarum nationum (adde Varr. de L. L. p. 26 Bip.: auxilium appellatur ab auctu quum accesserant qui adjumento essent alienigenae).

Non temere autem supra gradus dejectionem et militiae mutationem conjunctim posui; qui enim censione hastaria inter accensos referebatur, et gradum amisit si quem antea in legione tenuerat, et militiam simul mutavit ad levem armaturam redactus, ut conjunctum semper utrumque esset si quem attingebat poena qui non esset miles gregarius. — Permansit autem militiae mutatio — ut jam haec uberius persequar — per omnem imperii Romani aetatem fere eadem; nam quum militum genera tria semper essent, equitum peditum levis armaturae (73), militiae mutatio et ipsa triplex semper erat, ut aut equites inter pedites vel levem armaturam, aut pedites inter levem armaturam referrentur; et si quid diversis temporibus extitit discriminis, id fere non ad rem ipsam spectabat, sed ad solum spectabat nomen quo tertium hoc militum genus insigniebatur. Velut qui antiquioribus temporibus (74)

---

(73) Classiarii vel classici num certum militiae genus unquam fuerint dubito; nam primum epibatae (graeco enim nomine licebit cum Hirtio uti, de bell. Alex. c. 20) ex militibus legionariis sumebantur quando opus esset; qui autem ordinario navium regendarum munere fungebantur socii navales (hoc enim proprium tum nautarum nomen: Liv. 42, 27; 43, 12 etc.) ex libertini ordinis hominibus (cf. Liv. ll. ll.) iisque quorum infimus census (Polyb. 6, 19) electi militia recte dici vix possunt; ac discernit utrumque genus Liv. 45, 43: „sociis navalibus (tantum) dedit quantum militibus," etsi alibi tollere hoc discrimen videatur ubi dicit (32, 23), navales socios, relictis classibus, ad spem honoratioris militiae transgressos. — Atque haec quidem ad liberae reipublicae tempora spectant; imperatorum autem aetate erant sane classiarii milites certis navibus in perpetuum ascripti (cf. vel Veget. 5, 2); sed certum eos militiae genus fuisse, quum testimonia frustra quaesiverim, non ausim dicere; nec memini minus eos honoratam quam terrestres copias dici militiam; immo ex militia terrestri in navalem transiisse quendam (sine ignominia) narrari video in titulo ap. Orell. n. 3627.

(74) Quae de quinque rei militaris Romanae aetatibus obiter hic perstrinxi non sunt sane ejusmodi quibus firmandis defungi paucis possimus. Verum quum longiorem disputationem hic locus non capiat, breviter saltem principia indicanda sunt unde quinionem sequi putem. Est autem omne hoc aetatum discrimen non derivandum ex armorum diversitate; velut quum antiquitus non omnes Romani hastis armati essent, postea essent; aut quum antiquitus cataphractis fere et galeis pedester exerci-

pedites ad levem armaturam redigebantur, non nisi inter accensos relati recte dici poterant; idemque valet de secunda

tus muniretur, post Gratiani autem imperatoris tempora uti desineret (cf. Veget. 1, 20), — hinc tamen novarum initia aetatum non duxerim. Nec majori jure quisquam diversarum aetatum fines descripserit ab vario hominum genere qui milites scribebantur: ut antiquitus Proletarii et Capitecensi (cf. Gell. N. A. 16, 10), opifices (Liv. 8, 20), histriones (Liv. 7, 2 extr.) militiae vacationem habebant aeque ac servi (Valer. Max. 7, 6, 1 et Serv. ad Aen. 9, 547) nec scribebantur nisi in tumultu, — postea autem (i. e. fere inde a Marii temporibus: cf. Gell. l. l. Sallust. Jug. 86, Plut. vit. Mar. 9; de libertinis cf. Liv. epit. 74) vel semper vel certe etiam quum tumultus non esset, merere stipendia cogebantur; — ut olim socii nominis Latini in iisdem ac Romani manipulis merebant (Liv. 8, 6 extr. et 8, 8 extr.) postea peculiarem utrique locum tenebant; — ut antiquitus tria — si patriam quaeris — militum genera erant, legionarii (inter quos non erant nisi cives Romani), socii, auxilia, postea non jam erant nisi legionarii milites et auxilia, quum socii inter cives reciperentur et in legionibus esse coepissent. — Ab his igitur omnibus et si quae alia sunt similia novarum aetatum initia non ducam; nam quum ad proelium feliciter sustinendum longe plurimum valeat qua ratione acies instituta sit, isque optimus habeatur exercitus qui ita descriptus sit, ut quam plurimas aciei formas, servato universo ordine omnique insolita quae consternare milites possit collocandi ratione remota, inire facillimo negotio possit, — hoc igitur quum ita sit, merito hic duci nos patiemur ea ratione qua describi pedites solebant ad totum aliquod corpus formandum; equitum enim major non erat divisio nisi in turmas eaque per omnem aetatem duravit; quarum turmarum, ut quoque tempore utile videbatur, vel maximus vel minimus numerus in unum conjungebatur corpus. — Itaque prima aetas ea erit qua phalangi similis peditum exercitus in acie esset nec conficeret nisi unum corpus nullis intervallis interruptum. — Secundam eam facimus qua manipulatim acies strui coepit in quincuncem directa, tribus ordinibus (hastatorum principum triariorum) cum modico intervallo se excipientibus singulisque cujusvis ordinis manipulis et ipsis intervallo secretis (Liv. 8, 8). — Tertia aetate non desiit quidem acies manipulatim strui et triplex esse, sed non jam dirigebatur in quincuncem singulique cujusvis ordinis manipuli confertim stabant sine intervallis quae antea fuerant (cf. Liv. 30, 23 init., ubi ex eo quod in illo proelio novatum fuisse dicitur, quid consuetum tum fuerit colligi potest), adeo ut non jam ab hoste pressi inter principum ordines hastati, inter triariorum principes se recipere possent, sed immutatum tenere locum eumque defendere deberent quasi soli in acie starent; atque erant sane revera nonnunquam hastati, ut his utar, soli in acie collocati sine reliquis (cf. Liv. 30, 34 extr. alios locos infra afferam

rei militaris Romanae aetate, cujus initium a M. Furio Ca-

not. 77). — **Quarta** deinde aetate ita structa acies erat, ut quae inter singulos ordines intervalla fuerant plane tollerentur singulique hastatorum principum triariorum manipuli, qui olim alius post alium collocati fuerant, jam singula efficerent corpora, quae **cohortes** vocabantur. E quibus si quando triplex acies struebatur, tribus cohortium ordinibus alio post alium positis (qua aciei forma Caesar uti solebat; cf. de bell. Gall. 1, 24 et 49; de bell. civ. 1, 41 et 83), redierat sane ea aciei forma quae fuerat tertia aetate; sed et majora haec corpora erant nec poterant ita collocari nisi si plurimae copiae essent; adde quod inter tres hosce ordines non jam erat ut antea ullum discrimen. — Postremo, ut **quintam** jam aetatem absolvam, paululum mutata cohortium ratio est Trajani, ut videtur, temporibus, quibus **cohortes equestres** (sic enim appellatas fuisse e Plinii ep. 10, 107 — coll. 10, 32 — colligas: adde titulos in Gruteri inscript. p. 574 n. 5, p. 548 n. 8, p. 560 n. 4. eodem sensu **cohors equitata** est in titulo ap. Orell. n. 3398) in usu esse coeperunt i. e. tales, quibus equitum turmae additae in perpetuum, non in acie solum essent: cf. Veget. 2, 6 et Hygin. de castram. in Graev. thes. X p. 1022. Quamquam autem praeter has equestres cohortes etiam aliae in exercitu erant quibus non additi equites essent (cf. Hygin.), itemque praeter illos equites etiam alae equitum sive vexillationes (cf. Veget. 2, 1) quae sine peditibus essent, — ut, quum ad **totum** exercitum non spectarit, levior haec mutatio videri possit quam unde nova aetas ducatur, — maximi tamen momenti hanc mutationem esse putaverim propterea quod omnem eam exercitus partem attingebat quam vere Romanam appellare possis, legionem dico ex civibus Romanis compositam, de cujus solius mutata quovis tempore forma exponere instituimus; reliquas enim exercitus partes, quae e peditibus solum vel equitibus constiterint, sociorum vel auxiliorum fuisse inde patet, quod et Vegetius 2, 1 alas equitum discernit ab equitibus legionariis (in legione enim nec antea socii fuerant), et Hyginus eas quae sine equitibus essent cohortes minus appellat fideles quam cohortes equestres; adde quod cohortem equitatam **civium** habemus in titulo ap. Orell. n. 3398 et fortasse etiam n. 3403. — Iam quotcunque postea ordinibus cohortes in acie collocabantur, ipsa tamen haec exercitus in cohortes, quae integra essent corpora, divisio ad ultima usque imperii Romani tempora perduravit; et quamvis feracissima ea tempora essent in inveniendis dignitatibus ac nominibus novis quae ad rem militarem spectabant, de summa tamen re i. e. de militum in certa quaedam et individua corpora describendorum ratione nihil amplius mutatum est. — His expositis verbo monuisse satis est, milites, ut quaque aetate ex varia ordinandi exercitus et disponendi ratione varia singulorum corporum in proelii eventum vis pendebat, ita ad eandem rationem etiam alia alias arma gestasse aliosque aliis legionis partibus adscriptos fuisse quibus vel propter aetatem vel corporis habitum reique militaris scien-

millo ducimus. Sed tertia aetate (75), cujus disertissimus testis Polybius est (6, 19 seqq.), qui militiam mutare jubebantur pedites, inter velites stipendia fecisse putandi sunt; ex his enim tum levis armatura maximam partem constitit. Atqui velites hac aetate milites erant legionarii, aequabiliter in singulos hastatorum principum triariorum manipulos distributi (76);

---

tiam idonei essent: ut ex iis rebus e quarum mutata ratione singularum rei militaris aetatum initia duximus, magnum aliarum quoque rerum numerum pendere appareat quae passim in militia novatae sint.

(75) Hanc aetatem quando incepisse dicam dubius haereo. P. Cornelium Scipionem Africanum auctorem hujus aetatis (quae ipsi quarta est; cf. supra not. 26) Göttlingius nominat, Gesch. der röm. Staatsverf. p. 399, nescio quo jure; secundo punico bello incepisse concesserim. Sed unum hic non omittam quod fallere incautum possit. Quum enim hac primum aetate velitum nomen increbuerit, possit quispiam quod illius fuit nominis initium idem totius hujus aetatis putare; atqui Livius 26, 4, de obsidione Capuae (a. 541 a. u.) narrans, „ex omnibus,“ inquit, „legionibus electi sunt juvenes maxime vigore ac levitate corporum veloces. — eos singulos in equos suos accipientes equites assuefecerunt et vehi post sese et desilire perniciter ubi signum datum esset. — inde equitatu quoque superior Romana res fuit. institutum ut velites in legionibus essent.“ Idem affirmat Valerius Maximus 2, 3, 3; sed qui eandem rem attigerunt, Polybius et Frontinus, Strat. 4, 7, 29, de nomine tum primum invento nihil memorant ipseque Livius aliquot jam annis ante idem in usu nomen fuisse concedere videtur eo, quod usus est 21, 55 (ann. 534 a. u. c.), 23, 29 (536), 24, 34 (538). Itaque non tum primum dicere debebat velites coepisse in legionibus esse, sed in istum usum adhiberi.

(76) cf. Polyb. 6, 24. Itaque etiam in acie et in agmine, quod ejus formam fere imitabatur, velites singulis hastatorum principum triariorum manipulis additos censeo, nisi si quando locorum ratio vel imperatorum ars aliter eos collocari jussit; ut in acie variasse saepe velitum locum docent collati inter se Livii loci hi: 30, 33; 38, 21; 23, 29. — Praeterea autem in castris quoque velitum greges una cum suis quosque hast. princ. triar. manipulis tetendisse puto. Nam quod Lipsius (V, 4) ad vallum eos et spatium quod castra interiora ambit locatos fuisse putat, falsum est ob Polybii locum (6, 31, 11) quem ascripsi: *τὸν δὲ χάρακα τῶν σκηνῶν ἀφιστᾶσι κατὰ πάσας τὰς ἐπιφανείας σ' πόδας. τοῦτο δὲ τὸ κένωμα πολλὰς αὐτοῖς παρέχεται χρείας — — τὸ δὲ μέγιστον, ἐν ταῖς ἐπιθέσεσι ταῖς νυκτεριναῖς οὔτε πῦρ, οὔτε βέλος ἐξικνεῖται πρὸς αὐτοὺς πλὴν τελείως ὀλίγων· γίγνεται δὲ καὶ ταῦτα σχεδὸν ἀβλαβῆ διά τε τὸ μέγεθος τῆς ἀποστάσεως καὶ διὰ τὴν τῶν σκηνῶν περίστασιν.* Itaque qui

ergo jam novatum hoc erit, ut si qui e peditum numero rejicerentur, non tamen desinerent legionibus ascripti esse; nam inter auxilia tum relatos fuisse atque inter cetratos Macedones (Liv. 31, 36), Afros et Hispanos (Serv. ad Aen. 7, 732), funditores Baleares, sagittarios Cretenses aliosque barbaros stipendia merere coepisse qui istam ignominiam passi essent cives Romani, ab hac quidem aetate alienum puto. Quarta autem aetate (77) factum concesserim; qua quum sublatum ve-

---

vulnerari possunt, intra manipulorum tentoria versantur, non proxime a vallo; ibi enim κένωμα erat, tentoriis non oppletum. Sed possunt sane etiam velitum excubiae intelligi quae vulnerentur; hae enim eo loco collocatae erant (Polyb. 6, 35, 5); at certe nec tendebant ibi nec omnes simul velites excubabant, sed praeter decadas quattuor ad portas positas (Polyb. l. l.) aliquot quaterniones (quattuor enim militibus excubiae fere constare solebant: cf. Polyb. 6, 33, 7 et Veget. 3, 8), i. e. pauci. Hinc simul apparebit, cur corrupta putem Polybii (6, 35, 5), verba haec: τὴν δ' ἐκτὸς ἐπιφάνειαν (spatium inter tentoria manipulorum et vallum intelligit) οἱ γροσφομάχοι πληροῦσι: ultimum enim verbum de paucis dici vix potest; ut τηροῦσι scribendum putem.

(77) Quando primum cohortes in acie locari coeperint (inde enim hujus aetatis initium duximus) certo definiri nequit. A Mario primo factum Goettling. putat, Gesch. d. r. V. p. 458. Ex ipso autem nomine colligi nihil potest, cujus usus est vetustissimus; antiquissimis enim temporibus de quovis fere exercitu dicebatur, postea de sociorum copiis dici unice coepit adeo ut cohortes sociorum opponantur legionum manipulis (cf. Liv. 10, 33 et 27, 41 med.). Ad legionem Romanam autem transiise nomen videri possit secundi belli punici temporibus, si L. Cincius Alimentus sub finem ejus belli scripsit, ut statuit Bernhardy; Cincii enim haec verba sunt a Gellio 16, 4 extr. servata: „in legione sunt centuriae sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem;" praeterea Liv. 30, 23 de pugna narrans ad Zamam commissa, itemque aliis nonnullis locis quibus proxima post secundum punicum bellum tempora illustrat (cf. 32, 17 et 24; 34, 14 et 15; 34, 20; 34, 28; 45, 40) cohortis nomen ad milites legionarios traduxit. Verumenimvero et de Cincii aetate virum quendam primarium dubitare memini et Livius ipse se erroris coarguit, quum iisdem illis temporibus hastatorum, principum, triariorum sejunctos ut olim ordines permansisse prodat, qui singuli interdum adhibiti sint sine reliquis: cf. 33, 1; 34, 15; 35, 4; 37, 39; 40, 27; 44, 37; hoc enim fieri divisis semel in cohortes legionibus nullo modo potuisset. Nam cohortes ita extitere ut qui antecedenti aetate singuli hast. princip. triariorum manipuli alius post alium brevi interposito intervallo collocati

litum nomen esset (78), in eorum locum expeditos vel expeditos antesignanos successisse Salmasius statuit, de re mil. Rom. c. 17. Verum hic error est doctissimi viri, qui non reputavit quam parum similitudinis sit inter velites i. e. leviter armatos, et expeditos i. e. eos quorum arma quidem eadem plane atque reliquorum militum fuerunt, sed qui sarcinis non erant onusti; atque vel unum Hirtii locum, de bell. Afric. 78, suffecturum crediderim quo erroris Salmasius coarguatur. Ibi enim equitibus, quibus juncti levis armatura, sagittarii funditoresque fuerint, trecentos quos ex legionibus habere expeditos Caesar consueverit, succurrisse ex proxima legione narrat: ut diversum utrumque militum genus fuisse appareat, velites (vel levem armaturam) et expeditos, recteque, quod ad legiones e civibus Romanis compositas, Scheelius ad Hygin. p. 1037 levem armaturam plane tum sublatam fuisse contenderit. Itaque si quando pedites Iulii Caesaris aetate inter levem armaturam redigebantur, non jam inter milites legionarios civesque suos, sed inter auxilia et alienigenas stipendia fecisse putandi sunt. — Idemque factum puto quinta aetate, de qua quod addam non habeo nisi hoc, pro levi armatura tum armaturas dici coepisse: cf. Veget. 2, 15.

---

fuerant, omisso intervallo in singulas cohortes, admixtis qui cuique manipulo additi fuerant velitibus, coirent; quo facto hastatorum (ut his utar) proprius quidam et sejunctus a reliquis ordo non jam esse potuit. Hac autem ratione institutas cohortes fuisse, non ea quam Salmasius de re mil. c. 17 (p. 177 Lugd.) proposuit, hodie cum Lipsio de mil. Rom. II, 4 et Scheelio ad Hygin. de castr. p. 1281 convenire omnibus crediderim. — Nondum igitur quicquam de institutarum primum cohortium tempore extricavimus; ac despero plane quidpiam inventum iri. Unum hodie scio, cum Mario jure posse de inventae rei gloria P. Cornelium Scipionem Aemilianum certare videri qui et ipse erat novator in militia: cf. Livii Epit. 57 et Pauli Diacon. locum (si recte huc refero) s. praetoria cohors, p. 223 M. Ac liceret fortasse certius hac de re statui, si Polybii de bello Numantino librum singularem servatum haberemus.

(78) Si qua enim postea revixit, vel scriptorum quorundum prisca et obsoleta venandi nimio studio hoc factum, vel ad aliud plane hominum genus significandum nomen abiit; cf. Salmas. l. l. p. 176 seq.

Atque haec quidem de militiae mutatione; quacum quam conjunctam saepe fuisse dixi gradus dejectionem ita illustrabo, ut non attingam nisi quae ad centuriatum (79) spectent. Quum autem gradus dejectio ab ea ratione pendeat qua ex inferioribus ad altiores gradus milites promovebantur, omnis haec quaestio versabitur in explicando gradus discrimine; quo perspecto facile pro se quisque judicabit de gradus dejectione. Ordiar autem a tertia aetate; de prioribus enim duabus nec certa invenimus testimonia, et quae erui conjectando possint, omnia nituntur eis quae certis scriptorum testimoniis vindicabimus tertiae. — Itaque Polybii aetate a tribunis militum in unamquamque legionem eligebantur centuriones sexaginta (80), quorum qui primi electi erant triginta honoratiorem reliquis gradum tenebant; quippe duces erant et sui quisque manipuli et prioris in unoquoque manipulo centuriae, quum reliqui alterius centuriae duces essent, totum autem manipulum non regerent nisi si priores illi aegritudine vel alia quaecunque fuit causa essent impediti. E XXX au-

---

(79) Ad tribunos militum enim haec, prioribus certe temporibus, non pertinebant; quos tum aut consules aut populus (cf. Liv. 7, 5 et 9, 30 coll. 27, 36 et 42, 31) aut consules partim, partim populus (cf. Liv. 44, 21 coll. Pseudo-Ascon. in Verr. 1, 10 p. 142 Or. et Fest. s. Rufuli p. 261 M.) creabant, non ex inferiore gradu in hunc altiorem promovebant. Adde quod antiqua lege militari cautum erat, ne quis, ubi tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor esset, teste Livio 7, 41; adeo ut gradus dejectio tribunos militum attingere non posset. Nec posterioribus temporibus multum novatum, quum tribunorum alii ab Imperatoribus crearentur, quos tribunos majores appellabant, et pars tantum „ex labore“ eo provenirent, qui tribuni minores audiebant: cf. Veget. 2, 7. Sed de his ceterisque dignitatibus, quarum posterioribus temporibus ad immensum auctus numerus est, praestat nihil quam pauca afferre. Nec de iis disputabo quorum ut humilior quam centurionum gradus, ita honoratior quam militum gregariorum erat, vexillarios dico, centenarios, decanos, optiones, tesserarios, cornicularios, beneficiarios etc.

(80) Quae hic dixi Polybii auctoritate nituntur omnia, praeterquam quod qui primi electi centuriones erant, eos ego non totos solum manipulos, sed etiam suas quosque centurias rexisse de meo addidi; quod quis non credat vel sine scriptorum testimoniis?

tem manipulis quum X essent triariorum vel pilanorum, X principum, X hastatorum, triarii autem majore quam principes, et principes majore quam hastati honore gauderent, — ad eandem hanc rationem altiores gradus eorum erant qui triariorum manipulos ducebant, infimi eorum qui regebant manipulos hastatorum. Postremo quum e manipulis triariorum (ut his utar in re quae ad tres istas militum classes aequabiliter spectat) honoratissimus esset primus, dein secundus et sic deinceps reliqui usque ad decimum, — consentaneum est centurionum quoque gradum ad eandem hanc rationem fuisse plus minusve honoratum. His praemissis tabula describam centurionum gradus, orsus ab infimo:

decimus hastatus (81) posterioris (82) centuriae.
nonus hastatus posterioris centuriae.
⋮
primus hastatus posterioris centuriae.
decimus princeps posterioris centuriae.
⋮
primus princeps posterioris centuriae.
decimus primopilus posterioris centuriae.
⋮
primus primopilus posterioris centuriae.

---

(81) Brevitatis studio hoc dandum fuit ut hastatos et principes diceremus hastatorum et principum centuriones. Id quum postea constanti usu fieret, hac aetate vix potuit, quo etiamtunc duraret militum in triarios principes hastatos divisio; sed recte tunc dicebatur: hastatum (ordinem hastatum) alicui assignare, hastatum ducere etc. (cf. Liv. 42, 34). Itaque Livius (25, 14) quum T. Pedanium, qui centurio erat, ad suae aetatis morem dixisset principem primum, necessario debebat, uti fecit, addere: centurio, ut male de corruptione cogitaverit Lipsius d. m. R. 2, 8 p. 78.

(82) Quae passim hic posui nomina nolim postules ut scriptorum testimoniis confirmem omnia; plurima posui analogia ductus, quam hic quoque secutus sum, Livium imitatus 42, 34, ubi est: primus hastatus prioris centuriae, — primus princeps prioris centuriae.

decimus hastatus prioris centuriae (sive decimum hastatum ducens (83)).

⋮

primus hastatus prioris centuriae.
decimus princeps prioris centuriae (cf. Liv. 42, 34).

⋮

primus princeps prioris centuriae (cf. Liv. 42, 34).
decimus primopilus prioris centuriae.

⋮

septimum primum pilum ducens (Liv. 7, 13)

⋮

(primus) pirmopilus (prior. cent.).

Haec quum per se satis sint perspicua, nihil addam nisi quae ad primopilos sive primopilares spectent. Quos Lipsius eumque secuti recentiores scriptores solius primi triariorum manipuli duces fuisse scribunt; ego autem idem nomen ad omnes triariorum manipulos pertinuisse judico. Primum enim a Livio (7, 13) video narrari, Tullium quendam septimum primum pilum duxisse; quod qui voluerunt esse: septima eum vice primi triariorum manipuli ducem fuisse, ii censendi sunt, neglecta quae primo se aspectu suaque facilitate commendaret interpretatione, praejudicata opinione ad deteriorem compulsi. Ex eadem autem opinione (quae Lipsii fuit quamque secuti sunt reliqui) item male judicatum de alio Livii loco

---

(83) Ducere manipulum si qui dicitur centurio, aperte intelligendus centurio prioris centuriae, quem universum simul manipulum rexisse diximus. Ita Sp. Ligustinus (Liv. 42, 34) cui antea primus princeps prioris centuriae assignatus fuerat, postea primum pilum duxisse dicitur; sed quotus is fuerit non est additum; hoc enim saepissime factum ut hastatum (priorem), principem (priorem) scriptores appellarent simpliciter, numero quo manipulorum ordo indicaretur non addito; quamquam concedendum est, saepe scriptores intelligi eos voluisse qui imprimis ita vocari possent i. e. primum hastatum, primum principem. Qua de re qui exempla produxit Lipsius l. l. p. 78 non debebat hoc de omnibus ejusmodi locis pronuntiare.

quem et ipsum nostrae sententiae sponsorem adhibemus, 8, 8: „(hastatos et principes) antepilanos appellabant, quia sub signis jam alii quindecim ordines (i. e. manipuli) locabantur; ex quibus ordo unusquisque tres partes (i. e. triariorum, rorariorum, accensorum) habebat. earum unamquamque primum pilum vocabant.“ Ubi quod conjeceram scribendum esse primam quamque pr. pil. v., idem laetor Goettlingium quoque proposuisse, Gesch. der röm. St. p. 366; Lipsius contra parum latine scripsit: unamquamque primam, pilum vocabant. Corrigendam autem vulgatam lectionem fuisse nemo negabit nisi qui nomen etiam ad rorarios et accensos pertinuisse putet; qui quum triariis ita juncti essent ut paene totum aliquod cum his corpus in unoquoque manipulo efficerent, et una cum his opponerentur antepilanis, intelligi simul potest, qui primi pili nomen ad omnes triariorum manipulos spectare potuerit. Quod autem maximum est, quo tandem alio nomine reliquorum manipulorum praeter primi triariorum centuriones vocatos fuisse putabimus? Num triarios? ut posteriori certe aetate hastatorum et principum centuriones et ipsi appellabantur hastati, principes. Hoc parum est credibile, quum multum, in inscriptionibus praesertim, celebretur hastatorum et principum (i. e. centurionum) memoria, triariorum autem nullum extet vestigium, sed soli appellentur primopilares. Nisi forte quis Vegetii (2, 8) narratione nos refutaverit, qui praeter primum pilum, primum hastatum, principem, hastatum secundum duces nominat etiam triarium priorem, quo augeri nomine difficultates, quibus tota ista laborat narratio, sentiet qui reputaverit, prioris triarii nomen, si cuipiam, uni convenire primopilari. Postremo ad probandam nostram de primopilaribus opinionem, refutandam Lipsii idoneum puto Livii locum, 42, 32; isto enim anno quum veteres milites centurionesque scriberentur et tribuni primum quemque centurionem (i. e. primopilares; cf. Liv. 7, 41: „primus centurio, quem nunc primi pili appellant“) citarent, tres et viginti centuriones qui primos pilos duxissent, dicuntur citati tribunos plebis appel-

lasse. Quodsi vel tertia veterum primopilorum qui erant pars sponte sua nomina dabant i. e. octo, — triginta tum primopilares erant qui olim ordines duxerant i. e. ex Lipsii opinione, triginta ad minimum legionum summi centuriones; qui major est numerus quam credibile est fuisse, isto praesertim tempore quo bellis distenta respublica nec facile militiae vacatio exercitatis ducibus data erat. Contra nostram si sequare sententiam, parum Te eo loco pressum difficultatibus videbis. — Sed quo excusem simul Lipsii errorem, hoc quoque addendum est, unum sane ex primopilarium (i. e. centurionum qui triariorum manipulis praeerant) numero κατ' ἐξοχὴν appellatum primopilum sive primopilarem fuisse, eum dico qui delectu primus erat et ad imperatoris consilium adhibebatur (Polyb. 6, 24 Schweigh.) cujusque praeter alios honores in tota regenda legione quaedam partes erant (cf. Dionys. Hal. 9, 10), quae accuratius cognosci partim ex Livii (44, 33) narratione, partim ex Polybii (6, 35 extr. Schw.) possunt.

Haec autem quae de primopilaribus disputavimus ad quartam quoque aetatem i. e. Caesaris ac priorum imperatorum spectant; itaque in titulo ap. Orell. n. 3426:

SEX(to) AVLIENO SEX(ti) F(ilio) ANI(ensi tribu)
PRIMOPIL(ari) II. TR(ibuno) MIL(itum)
PRAEF(ecto) LEVIS ARMAT(urae)
PRAEF(ecto) CASTR(orum) IMP(eratoris) CAES(aris) AVG(usti)
ET TI(berii) CAESARIS AVGVSTI etc.

causa nulla est, cur primopil. II negemus primopilarem secundum i. e. cohortis secundae esse, ut in tit. 3455 III HAST. videtur tertius hastatus esse i. e. tertiae cohortis, quemadmodum in tit. 3452 habemus hastat. posteriorem Coh. I et principem posteriorem Coh. I (errore enim altero hoc loco numeri nota excidisse videtur), contra eodem sensu octavum principem in (Cicer.) Epist. ad Brut. 8 et primum hastatum ap. Caes. de bell. civil. 1, 46, i. e. principem octavae, hastatum primae cohortis. — Quamquam si quis primopil. II interpretari malit: primopil. bis, habebit quo se defendat titulum

3444. Quid quod primopil. II possit etiam primopilaris esse posterior i. e. secundae centuriae in cohorte nescio qua, ut principem posteriorem habemus in titul. 3452 et fortasse etiam 3460, hastatum posteriorem in tit. 3452 et hastatum PR(iorem) in tit. 3592 (nisi hic quidem est hastatus primus), et, quod eodem ducit nomen, centurionem dextri in tit. 3549 i. e. prioris centuriae in cohorte nescio qua; nam primus electus cuique manipulo centurio (i. e. centurio prior) in dextro cornu olim quoque collocatus erat, Polybio teste 6, 24, 8 Schw. — Iam ubi addidero in tit. 3454 Cent. IIII PR. POST. videri centurio quartus (i. e. quartae cohortis) princeps posterior esse, ut ap. Caesarem de bell. civil. 3, 64 habemus primae cohortis principem priorem, concessurum Te puto nec nomen centurionum nec numerum videri hac aetate mutatum esse. Quod autem ad gradus promotionem, potuit sane haec eadem quae antea esse, ut a decimo hastato sensim promoverentur ad primum hastatum, inde eadem ratione ad principes et primopilos; sed nec certa invenio ejus rationis scriptorum testimonia et aliquid etiam ei video obstare. Neque enim omnium cohortium eadem erat dignitas, sed prima certe cohors reliquas praecessit dignitate, quum, ut Vegetius refert 2, 6, genere atque institutione litterarum selectissimos viros quaereret et aquilam susciperet. Quodsi quis a decimo hastato ad primum (i. e. primae cohortis) promotus postea pervenisset ad decimum principem i. e. cohortem decimam, parum, opinor, aucta gradus dignitas fuisset. Itaque sic statuendum erit, ad nonum hastatum non fuisse promotum nisi qui in decima cohorte perfunctus hastati posterioris et prioris, principis II et I, primopilaris II et I muneribus fuisset; qui autem ad primae cohortis gradus pervenissent, novem deinceps reliquarum cohortium muneribus jam fuisse perfunctos.

Eo igitur sensu intelligenda sunt ista Vegetii (2, 21) quae per se parum sunt perspicua: „quasi in orbem quendam per diversas cohortes et diversas scholas milites promoventur ita ut ex prima cohorte ad gradum quempiam promotus vadat

ad decimam cohortem et rursus ab ea cum majore gradu per alias recurrat ad primam. ideo primipili centurio postquam in orbem omnes cohortes per diversas administraverit scholas (hastatorum, principum, triariorum intelligit) in prima cohorte ad hanc pervenit palmam;" item haec ejusdem scriptoris (2, 8): „vetus autem consuetudo tenuit ut ex primo principe legionis promoveretur centurio primipili," ubi nunc demum perspicimus qui intelligendus primopilaris sit, nimirum non decimae cohortis sed primae. Recteque nunc poterunt etiam haec intelligi Caesaris, de bell. civil. 3, 53: „(Scaevam) — ab octavis ordinibus ad primum pilum se transducere pronuntiavit," et haec ejusdem scriptoris, de bell. civil. 1, 46: „cecidit Fulgentius ex primo hastato legionis XIV qui propter eximiam virtutem ex inferioribus ordinibus in eum locum pervenerat;" uterque enim ex inferioribus cohortibus ad primam cohortem promovebantur, sed Scaeva altiorem gradum, ut primopilus, tenuit quam Fulgentius hastatus. Simul autem ex duobus hisce locis apparet, singulos centurionum gradus tum coepisse ordines vocari, estque ad eandem rationem in titul. ap. Orell. 3454 ordinem accipere et in tit. 3456 ordinem dare positum; qui quidem loquendi usus latius etiam manavit adeo ut ordines mox significarent centuriones; cf. Caes. de bell. Gall. 5, 30 et 6, 7. Postremo addam hoc, ex tit. 3454 Orell. apparere, eisdem singularum legionum gradibus fuisse eandem dignitatem, nec auctum honorem fuisse si qui hastatus secundus (ut hoc utar) legionis secundae fieret hastatus secundus legionis primae; quod notandum duxi ne quis nimium colligat e Caesaris loco de bell. Gall. 6, 40: „centuriones, quorum nonnulli ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum virtutis causa in superiores erant ordines hujus legionis transducti etc."

Haec habui quae de quarta aetate dicerem; quibus animus erat pauca addere de quinta, non quo universam ea promovendi rationem mutatam putarem, sed quod centurionum minutum numerum fuisse e Veget. 2, 8 intelligebam. Primam

enim cohortem a quinque **ordinariis** (cf. 2, 7) centurionibus rectam fuisse narrat, quorum hoc ordine nomina posuit: primipili, primi hastati, principis (ad quem prope omnia quae in legione ordinata sint pertineant), secundi hastati, triarii prioris; item reliquas cohortes habuisse duces quinos, in tota autem legione fuisse centuriones quinquaginta quinque; etenim alios quoque centuriones fuisse qui singulas centurias curarint quique suo tempore centenarii appellati fuerint; item fuisse Augustales et Flaviales, qui ab Augusto et Vespasiano ordinariis juncti fuerint (2, 7). — Quae quum non una laborent difficultate, satius videbatur esse omnino ab hoc loco manus abstinere, quum praesertim et levitatem atque inscitiam scriptoris aliunde satis cognossem, nec via ac ratione agere posse viderer sine meliorum codicum subsidiis; quae ab Haasii nostri liberalitate, quem **Tu** rei militaris scriptorum scis futurum sospitatorem, non jam licuit ob temporis angustias impetrare. Ac cavendum insuper erat, ne quam epistolam **Tibi** inscribere professi sumus, in libri molem extenderemus. Itaque jam finis sit epistolae, quam ubi in eam partem quam volumus acceperis, magna quibus **Tu** me ornasti beneficia magno cumulo aucta putabo. Vale, Vir Reverendissime, et favere mihi uti facis perge.

Dabam in Coenobio Gothano,
ipsis Idd. Sextil. an. MDCCCXLII.

Typis A. G. Schadii.

